



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ**

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira  
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

**Haineuve, Julien**

**Coloniæ Agrippinæ, 1665**

Hac sequenti hebdomada, sic pergitur in historia Actuum Apostolorum, ut  
inde diebus singulis manifestetur unum è septem spiritus sancti donis, cui  
sua conformetur veritas. Dominica Pentecostes. De ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44214**

dedit, Dominus abstulit, si nomen Domini benedictum: sed tantò id gloriosius & magnificentius dicerent supra lobum, quàm cœlum terræ præstat. O Divinas sanctorum mentes! quam longè ab his absumus, qui terrenum nescio quid vix patimur nobis negari, cum cœlum ipsùm pro Deo deserendum esset!

novabis faciem terræ, Tum enim auferret spiritus noster & deficit, cum perfectè subicitur Deo; at loco nostri spiritus, divinus ille substituitur qui replet vasa vacua; & cui potius deficient vasa quam illè vasis, sicut de oleo Elizæi narratur.

III. PUNCTUM;

**N**emo ergo paratior ad omnia Dei Dona recipienda, quam qui ad nulla sibi danda a que paratus est. Quia sic purius Deum respicit, sic donantem potius quam dōna spectat: sic perfectius Deo subicitur & unitur, quæ perfecta subjectio capaciorem & paratorem Deo recipiendo facit animam, cui propterea dicitur: Dilata os tuum & implebo illud. Id est, ut interpretatur sanctus Augustinus, angustias pateris in te, desere te ipsum; ut in me transeas, sic que dilataberis ut magis implearis. Quod & expressius idem Regius Platæ: Doce me, inquit, facere voluntatem tuam quia Deus meus es tu, Tu verò statim subdit, spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam; Quasi diceret, statim atque me ad voluntatem tuam comparavero, spiritus tuus me sibi comparabit & acquirere. Itemque alibi luculentè; Auferes spiritum eorum & deficient, & in pulverem suum revertentur. Emittes spiritum tuum & creabuntur & re-

Pf. 80.

Pf. 142.

Pf. 103.

Offa arida audito verbo Domini; præclara est figura apud Ezechielem. Vide locum, & illud maxime annota quod dicitur, A quatuor ventis veni spiritus. Sic enim mystice a quatuor ventis super nos invocatur & venit sanctus Spiritus, id est per quatuor motiva representata per quatuor mundi partes unde quatuor principales venti perflant, & continentur in hymno de Spiritu sancto: Sic enim primò venit velut ab oriente per beneficia cōmemorata: Veni Creator spiritus, &c. Deinde secundo & tertio versu velut à meridie per Charitatem: Qui paracletus diceris, &c. Tum verò quarto versu velut ab occidente per infirmitates & peccata nostra: Accende lumen sensibus, infirma nostri corporis, &c. quinto denique versu velut a septentrione, propter hostes, Hostem repellas longius, &c. Atque hæc ardentè, constanter & pure propter Deum, nihil aliud postulando quam quod ipse velit, & quia sic ipse vult ut postules. Nihil in vacuo natura operatur; at contra, tota est in vacuo gratia; Vt non gloriatur omnis caro in conspectu eius.

Ezech. 37

1. Cor. 1.

Hæc HEBDOMADA, sic pergetur in historia Actuum Apostolorum, ut inde diebus singulis manifestentur septem Dona Spiritus sancti, totidemque ex illis erunt Veritates.

**D O M I N I C A**  
**P E N T E C O S T E S.**

**DE MISSIONE SPIRITVS SANCTI.**

*Et de Dono Sapientie.*

**E**t factus est repente de Cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum; uli erant sedentes. Et apparuerunt illis dispersæ lingue tanquam ignis, sediteque supra singulos eorum: Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & ceperunt loqui variis linguis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. Act. 2.

VERITAS

VERITAS PRACTICA.

Humana sapientia sic divina opponitur, sicut humana stultitia.

RATIO est, quia idcirco humana Sapientia stultitia opponitur, quod privet hominem usurationis naturalis sine quo nulla est humana sapientia.

Sed hac humana sapientia sic privat hominem usum supernaturalis rationis, si ve quo nulla est divina sapientia.

Sic ergo illi opponitur, ac proinde tam cavenda est, quam stultitia timeretur.

II. P U N C T U M.

**Q**UANTO hic plura dici possent de admirabili Mystero descendens in Discipulos congregatos Spiritus sancti, tanto brevius constringentur, quia plana sunt unicuique & obvia. Tantum vide ne multitudo vel varietas rerum, quae considerari possunt, te obruant. Distingue singula, tuas in partes & in certas circumstantias, nisi forte te occupet & possideat divinus ille Spiritus, cui te totum debes permittere possidendum.

Contemplantur primò Quis descendat, quale donum detur hominibus, *Donum ipsum essentiale*, ut ait sanctus Thomas, si ve donum quo cetera omnia dona supernaturalia continentur: non jam per gratiam visitationis & operationis, sed per ipsam praesentiam maiestatis. O effusam Bonitatem!

*August. 185.* Secundò quibus detur; *erat*, ut dictum est, *turba hominum simul ferè centum viginti*, quos inter, mulieres quaedam sanctae, & Maria mater Iesu. Sed hac una excepta, quales alii erant? pauperrimi scilicet, ignorantes, idiotae, peccatores, & tamen hos dignatur inhabitare Deus!

Tertio, quò descendat loco & tempore. Non enim vacat Mystero, quod in Congregatos, ipso in caenaculo, ubi Sanctissimum Sacramentum fuerat institutum, & quod erat in superiori domus parte, descenderit, ac multò etiam magis quod ipso die Pentecostes, quo lex olim data fuerat, quam Spiritus sanctus in corde fidelium erat super scripturus.

Quartò, modum ipse descendens Spiritus

sancti maximè considerandus; nempe ille repentinus de Caelo sonus, & illa ignea supra singulos sedentes lingua. Quale prodigium! qualia Spiritus sancti Symbola: *ventus, ignis, & lingua!*

Quinò, quo sine venerit & quos effectus produxerit. *Hac est mutatio dextera Excelsi, de qua Psaltes, planè tum mutati sunt & conversi homines cum ex peccatoribus sancti, ex superbis humiles, ex carnalibus spirituales, ex piscatoribus praedicatores omnium linguis loquentes, ex timidus fortes, ex terrenis denique caelestes & divini facti sunt. Erant tum in Ierusalem, ait Sacer Historicus, habitantes viri Religiosi ex omni natione quae sub caelo est. Facta autem hac voce convenit multitudo & mente confusa est quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes & mirabantur dicentes, Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilaei sunt! Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus! parthi & medi, &c. Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Stupebant autem omnes & mirabantur, adinvicem dicentes quidnam hoc vult esse? Alii autem irridentes dicebant, quia musto pleni sunt isti.*

Videlne dum alii mirantur Apostolos, alii eos irrident? Mirabantur videlicet quidnam excellentissimum illud *Donum Sapientiae* quod eminebat inter alia, primò que se producebat, cum mira de Deo saperent, sentirent & loquerentur; hoc est enim Sapientiae donum, *sapor & connaturalitas ad res divinas*, inquit sanctus Thomas, id est, sapor & quidam veluti gustus tam suavis rerum divinarum, ut connaturalis videatur. *2.2.9. 45.*

Quidam verò & qui forte sapientiores videbantur, irridebant, seu ut habet alia versio, subannabant quasi ebrios & mente captos, injuriis & convitiis appetebant, quia scilicet humana sapientia non nisi stultam divinam putat, unde fit ut ipsa humana in stultitiam degeneret, quando sic divina opponitur. Quod ce tè est valde observandum, ut quantum naturalis stultitia timeri potest, tantum humana sapientia caveatur, *quae sic est divina opposita, sicut ipsi humana sapientia opponitur stultitia naturalis.*

Et quidem ratio est evidentissima; quid enim clarius quam quod in declaratione Veritatis proposita dicitur, idcirco huma-

nae sapientiae stultitiam opponi, quod hominem priver usu rationis sine qua nulla est humana sapientia? Sive enim sit privatio mentis à natura, quae dicitur proprie stultitia: sive à casu, quae est amentia: sive à depravatis moribus, quae fatuitas nuncupatur, perinde nobis est, ut intelligamus oppositionem omnem ad hoc unum redire quod priver hominem usu rationis, ac proinde omni humana sapientia, quae tota est in illo naturali rationis usu. Vide quam deplorandus stulti status! quanta dignitas rationis si probè regeretur ad suum finem! quanta ejus depravatio & malignitas! Quam variae species humanae sapientiae! quam damnosa illa quae omnium sublimissima & foelicissima reputatur, quae

L. 10. Mor  
c. 16.

que sic à S. Gregorio describitur: *Cor machinationibus tegere sensum verbis velare, quae falsa sunt, vera ostendere, quae vera sunt, falsa demonstrare.* Hec nimirum prudentia usu à juvenibus scitur, haec à pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, ceteros despiciendo superbiunt: hanc qui nesciunt, subiecti & timidi in aliis mirantur, quia ab eis haec eadem duplicitatis iniquitas, nomine palliata diligitur, dum mentis perveritas, urbanitas vocatur. Nihilne in istis tuum esse agnoscis?

## II. PUNCTUM.

**S**ED haec humana sapientia priver hominem usu supernaturalis rationis, sine qua nulla est Divina sapientia.

Tria hic distinctè sunt revolvenda ex multis ante dictis, Primum quae dicatur ratio supernaturalis, nempe ut sanctus Thomas refert ex S. Augustino, *qua intendit rationibus supernis seu divinis conspiciendis & consulendis, secundum quod per divina de humanis judicat actibus, & per divinas regulas dirigit actus humanos, ut si dixerò & crediderò Beatos pauperes spiritu quoniam ipsorum est Regnum caelorum; V. E. vobis divitibus quia habetis consolationem vestram. CVM facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos & cacos, & beatus eris quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in resurrectione Iustorum.* In his enim & similibus Evangelicis sententiis, vides rationem peti vel à Deo sic loquente, vel à promissis aeternis & futura beatitudine.

Deinde considera, quomodo Sapientia humana priver hominem usu supernaturalis ra-

tionis; quia scilicet cum attendat tantum ad causas & rationes naturales, humanas, temporales, & transitorias, id est, petitas à sensu naturae humanae corruptae, ab opinione hominum secundum carnem viventium; nihil aliud reputat bonum sive beatum, nihil aliud malum aut miserum aestimat, quam quod sensus naturalis, & communis opinio tale sentit: unde cum paupertas, injuria & calumniae humano iudicio mala sint; divitiae vero, deliciae & honores, bona censentur; sic manifestè fit, ut evertat rationes supernaturales; & quam verum est secundum Deum Beatos esse pauperes, tam falsum sit secundum homines. *Ve qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras;* Sic differentem Dominum de Beatitudinibus Evangelicis deridebant avari & sapientes mundani, quibus tum Christus Dominus: *Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra, quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum:* Stupenda certè sententia.

Haec autem everfa ratioe supernaturali, simul evertetur sapientia divina, quod eratteritium expendendum, quia hic ejus propius & maxime nativus effectus est per supremas illas causas sic illustrare & sic afficere hominè, ut quod cognoscit bonum animi, sapiat, gustet, prosequatur & amet, licet sit amarum sensibus; & quod cognoscit malum, oderit, fugiat & detestetur, licet sit suave carni. Jam verò si tollantur illae supremae causae, tolleretur hic effectus, quia res non cognoscantur in veritate prout sunt, & sic non verè afficient & sapient, *Gens absque consilio est & sine prudentia; utinam saperent & intelligerent, ac novissima providerent.*

## III. PUNCTUM.

**S**ICIGITUR humana sapientia divina opponitur, sicut stultitia humana sapientia.

Nam cum ratio & causa oppositionis sit eadem, nempe privatio rationis, quid sequitur nisi ut eadem sit oppositio? Et certè quid magis oppositum quam quod humana sapientia sentit, & divina? Quid magis oppositum quam amare divitias, aut contemnere, Miseram dicere paupertatem, aut beatam? Honores vel ambire vel fugere? Crucem & persecutiones odisse, vel amare? Haec est videli-

cet

Luc. 3.

7. 2. 9.  
43. a. 1.  
44. 5.

1. Tim. 8.

1. Cor. 1.  
6. 2.

et oppositio humanæ & divinæ sapientiæ : nam quantum humana prolequitur divitias, honores & voluptates; tantum divina fugit: unde aptè S. Jacobus: *Sizelum, inquit, amarum habetis & contentiones sint in cordibus vestris, quæ scilicet ex concupiscentiis proficiuntur, non est ista sapientia de sursum descendens à patre luminum, sed terrenâ, animalis, diabolica; quæ autem de sursum est Sapientia, primùm quædam pudica est, deinde pacifica, modesta, suavis, &c.*

Deniq; sicut mors & vita sunt inter se opposita, oppositione maxima quæ est privativa: sic utraq; hæc sapientia, quarum una quæ dicitur sapientia & prudentia carnis, *Mors est*, inquit, Apostolus, prudentia autem spiritus *vita & pax* quoniam prudentia carnis, *inimica est Deo, Legi enim Dei non est subiecta, neque enim potest.*

Atq; hinc facilius intelliges, quod frequentissimum est in Scripturis, humanam sapientiam non nisi stultitiam coram Deo reputari, sicut divinam apud homines stultam æstimari. *Stultam*, inquit idem Apostolus *fecit Deus sapientiam hujus mundi. QVOD stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Animalis homo non*

*percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi, & non potest intelligere quia spiritualiter examinatur. Quorum omnium ratio est, quam diximus, quia utraque sapientia sunt inter se oppositæ, oppositorum autem planè est diversa ratio; unde quod uni bonum & dulce est, alteri sit malum & amarum necesse est.*

At verò quæ venor est sapientia? Divinam non dubitabis in meditatione dicere, sed in praxi vide ne humanam anteponas. Illud videlicet obstat quod si secundum divinam sapientiam velis vivere, stultus habearis mundo, quod certè durum est; sed vide ne dum sapiens mundo vis haberi, stultus Deo existas. Vide ne dum stultitiam mundi velut sapientiam consecraris, sapientiam Dei velut stultitiam reicias. Alterutrum enim necessariò est concludendū, aut Dei aut mundi sapientiã esse stultitiam. Utrum è duobus? O quam hic præclare Apostolus; *Nemo se seducat. Si quis videtur*

*inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum, scriptum est enim, comprehendam sapientes in astutia eorum; Et iterum, Deus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt. Nemo itaque gloriatur in hominibus.*

## EODEM DIE.

IN ILLUD APOSTOLI:

*Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, Ephes. 4.*

### VERITAS PRACTICA.

Quod nos magis lætificat, hoc magis contristat Spiritum sanctum.

**RATIO EST.** Quia quod magis contristat Spiritum sanctum per quod magis illi resistimus.

Atqui per id magis illi resistimus, quod nos magis lætificat.

**ERGO** hoc ipsum est quod eum magis contristat. Quod quia nimis est impium, idcirco corrigendum illud, quod nos sic perversè lætificat.

### I. PUNCTUM.

**E**RAT in lege veteri lex expressa de non contristandis peregrinis & advenis:

*Advenam non contristabis, neque affliges eum. Exodi 22.*

Ratio ejus legis videtur fuisse quod cum advenæ & peregrini, non minus à Judæis distarent moribus quàm patria, fieri facile poterat ut Judæi malè illos tractarent, irriderent & contemnerent; quod idcirco speciali lege cavetur.

At verò nobis hodie lex illa opportunè videtur commendanda: sicut enim Spiritus S. dicitur *hospes animæ nostræ, Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium*: Ita nisi diligenter caveamus, facile est nobis illū contristare & affligere, propter diversitatem morum & motuum nostrorum ab eius moribus & agendi modis. O quanta est illa diversitas! Eapropter forte Apostolus, *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei.*

Fieri-

Fieri verò potest, ut ille Spiritus contristetur qui est gaudium indeficiens, & ipsa essentialis beatitudo? Ille qui est author purioris gaudii quod possimus percipere? Ille qui est Spiritus, & omnis expertus perturbationis ac tristitiæ, quomodo contristari potest? quomodo verò à Christianis? à Religiosis, & à nobis? Hoc certè mirum, atque eò etiam magis mirandum, quod uno hoc præcipue contristetur, quod nos magis lætificat.

Ratio valde expendenda est, quod hoc uno potissimum contristatur Spiritus sanctus, per quod nos illi præcipue resistimus. Certum est quidem non eum contristari sensibiliter sicut nos: sed tamen humano modo sic loquitur sacra Scriptura de Deo, ut intelligamus sic se Deum effectivè erga homines gerere, quando id eorum peccata exigunt, sicut si effectivè moveretur. *Non irascitur quasi mutabilis*, inquit S. Ambrosius, *sed ideo hac dicuntur, ut exprimat peccatorum nostrorum acerbitas, tanquam eò usque increverit culpa, ut etiam Deus qui naturaliter non movetur, aut ira aut odio, aut passione ulla, provocatus videatur ad iracundiam*. Sic brevius S. Hilarius, *pœna patientis, ita creditur esse decernentis*. Hoc autem non modò accidit, quando peccamus, sed quando illi resistimus, quando illi momenti de culpis, & moventi ad meliora, contradicimus, reluctamur, rebellamus,

L. de Noe  
c. 4.

Iob. 24.  
Act. 7.

*Ipsi fuerunt rebelles lumini. VOS semper Spiritui sancto resistitis*. Sic bonitas ejus offenditur, si ejus voluntas benefaciendi nobis avertitur: sic Christi meritum evacuat; sic nostra salus aut perfectio periclitatur: sic dæmon còtra nos magis prævalet, magis carni servitur quam spiritui, magis naturæ obtemperatur quam gratiæ, magis mundo quam Christo.

Hebr. 13.

Ephes. 6.

Baruch. 4

Propterea irritatur, commovetur, & contristatur suo modo Spiritus sanctus, sicut filii contristant parentes, aut subditi suos superiores, quando non acquiescunt illorum monitis: unde Apostolus; *Vt cum gaudio hoc faciatis & non gementes. Hoc enim non expedit vobis*. Et certè hi possent ut homines aliquando errare in re vel in modo: unde idem Apostolus: *patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros*: at bonitas illa divina nullo plane modo aberrat; & in nobis videt meram malitiam oppositam suæ bonitati, falsitatem veritati: ignaviam suæ felicitudini. Unde Propheta graviter æquè ac piè; *Ad iracun-*

*diam provocastis Deum, exacerbastis eum qui fecit vos, contristastis nutricem vestram. Et turlum Apostolus. Qui spiritui Gratia contumeliam Hebr. 10 fecerit.*

Nonne hæc tibi satis expressa sunt ad rem indicandam? Quoties verò voluit & noluit; Quoties vocavit & renuisti?

## II. PUNCTUM.

**A**QUI per id magis ei resistimus quod nos magis lætificat.

Quid est enim quod nos magis lætificat, quàm quod naturaliter seu secundum inclinationem naturalem magis diligimus, magis appetimus & magis prosequimur *Exultatis in lac. 4 superbiis vestris*, ait S. Jacobus, quando scilicet quam appetitis laudem & gloriam, avidè & peramanter recipitis; hoc est quod valde lætificat: sed malè, inquit idem Apostolus, *omnis exultatio talis maligna est*: Ac proinde nos inde Spiritus sanctus præcipue revocat, quia illa læticia est, velut approbatio cupiditatis & quidam consensus illi datus. Nos verò illi tum maximè resistimus; quia natura in eo quod diligit tenacissima est, difficilius cedit, & contra gratiam contendit diutius, unde dicitur *averso contentiosa*, qua sic à Spiritu sancto avertemur, tumque vel maximè *Caro concupiscit ad versus Spiritum, Spiritus autem ad versus carnem*, nam in his sibi invicem præcipue adversantur.

Hæc ratio posset urgeri vehementius à detrimendis quæ nobis importantur ex inordinato amoris affectu, quæ cætera omnes sequuntur passiones, ut est apud Prophetam: *In desiderio anime sua attraxit ventum amoris sui, nullus avertet eam*. Et tunc verè dici potest quod alius refert: *Omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas*. Atque hoc est propterea quod Spiritus sanctus expugnat vehementius ut dictum est; *Fili hominis, ecce ego tollo à te desiderabile oculorum tuorum in plaga. AN putatis qui inaniter scriptura dicat: ad invidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis? Majorem autem dat gratiam*. Egregius cerrè S. Jacobi locus, & fufius revolvendus, ubi aperte ostenditur, quo zelo Spiritus sanctus feratur erga animam in qua inhabitat, & quæ tamen mundo nimis afficitur; zelotypia quædam est, amor sponsi est non ferens confortem & compatem: aut discedat ab illa mundus

Aut anima, aut Spiritus inde discedat; Adulteri nescitis quia amicitia huius mundi, inimica est Dei?

III. PUNCTUM.

Quod nos ergo magis lætificat, hoc est quod magis contristat Spiritum sanctum: quia videlicet hoc est, quo illi magis resistimus: hoc est quod expugnabat vehementius, & quod à nobis præcipue volebat tolli: nos verò contra repugnantes & insanientes in medicum, in magistrum & in patrem; ii verè sumus de quibus dictum est: *Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo.* Sicut è contra, nihil illum magis lætificat quam quod nos magis contristat, si verè contristati sumus ad pœnitentiam; quemadmodum dicebat Apostolus, *quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me?* Aut illum non oporteret esse bonum, & nostri amantem; aut nos oporteret esse dociliores & magis subditos: nam quamdiu ille erit bonus, non desinet hie nobis bene velle: & quamdiu nos ei resistemus, non desinet contristari, quod bona ejus voluntas nihil nobis proficit.

O quam bonus est Domine Spiritus tuus in omnibus: ideoque vos qui exerrant, corripis. Sap. 12. Vos semper Spiritui sancto resistitis! Act. 7.

VERITAS PRACTICA.

Peccati contra Spiritum sanctum malignitas sic est singularis, ut multis jam peccatoribus sit communis.

Ratio est, quia peccati contra Spiritum sanctum malignitas, sive quoad culpam, sive quoad poenam, in hoc maxime sita est, quod aperte contra bonitatem Dei peccetur.

lud nostrum, ut propterea non timeamus contristare Spiritum Sanctum? Si propter cibum frater tuus contristatur, inquit Apostolus, jam non secundum Charitatem ambulat. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Quantò hæc verius & justius de Spiritu sancto? An verò possis anime, eo lætari gaudio quo ille contristetur? An tu verum & solidum purabis gaudium, quo is contristetur, qui solus dare potest solidum gaudium? An tu possis gaudere, & videre tuo illum mentem gaudio, à quo expectas gaudium sempiternum? An possis cum illo vivere & habitare, cum quo tam malè convenias ut quo lætaris, ille contristetur: & quo ille lætatur contristeris? Nunquid ambulabunt duo pariter nisi convenierit eis? Quod si ad conveniendum simul, necesse est ut alteruter de suo cedat aliquid, cuiam convenit potius cedere: an velles potius Deum tibi concedere quod amas inordinatè, quam te ex illo affectu inordinato decedere? Non times te ab eo tandem defendendum quem non potes retinere, nisi deseras quod ille tantum odit, quantum tu illud amas? Si autem ab eo deseraris, quid facies? quid orabis? quid sperabis? quid vel loqui vel cogitare poteris cum nihil sine illo possis, cum nemo possit dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto? Erudire Ierusalem ne forte recedat anima mea à te, ne forte ponam te desertam, terram inhabitabilem.

Rom. 14

Amos 8

1. Cor. 12. Ier. 6.

DE PECCATO IN SPIRITUM SANCTUM.

En proferam vobis Spiritum meum.

Prov. 2

O quam bonus est Domine Spiritus tuus! ideoque eos, qui exerrant, corripis. Sap. 12. Vos semper Spiritui sancto resistitis! Act. 7.

Sed jam multis peccatoribus hoc est commune, ut aperte contra bonitatem Dei peccent. Huius ergo peccati malignitas sic est singularis, ut multis jam peccatoribus sit communis. Quod quidem in hac materia præcipue considerandum est, ut sic facilius unusquisque noverit, in quantam veniat huius peccati partem se serio sibi prospiciat.

I. PUNCTUM.

Divina Sanctissimæ Divinitatis attributa sic tribus indivisim conveniunt sacris Personis, ut quod de una vel affirmatur, Bbb

sumatur, vel negatur, pari modo de aliis sit profus intelligendum. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, sic uni formiter, uno & eodem sensu ac consensu pariter de tribus idem celebratur.

Nil propterea tamen obstat, quin ex humano nostro concipiendi modo, quædam Patri præcipue, tum quædam præsertim Filio, quædam etiam singulariter sancto Spiritui referantur; quia videlicet Pater prius à nobis nominatur, & tanquam origo divinæ communicationis concipitur, idcirco quæcunque sunt potentia, potissimum illi assignantur, ut rerum creaturam effectio. Et quia Filius per viam intellectus generatur, ideo quæcunque sunt divinæ Sapientiæ, qualis est rerum conservatio certosque suos in fines mira promotio, dicuntur hujus esse Personæ. Sic denique quia Spiritus sanctus per viam amoris & voluntatis procedit, propterea quæcunque sunt bonitatis & gratiæ, qualis est totius humani generis reparatio, necnon particularis uniuscujusque vocatio, justificatio, glorificatio; divinus ille esse dicitur spiritus, qui singula prout vult singulis dividit & largitur.

Atque hinc fit, ut quæcunque peccata divinam hanc præsertim bonitatem impetunt, præsertim etiam in Spiritum sanctum dicantur perpetrari: non quod in alias duas non peccetur Personas, sed in tertiam potissimum eo sensu, quo de illa potissimum bonitas prædicatur. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei in quo signati estis in diem redemptionis. Id est, per quem accepistis gratiam sanctificantem. Neque verò etiam ullum omnino peccatum admittitur, quin adversus Dei bonitatem committatur, verèque omni dicatur peccato: *contristasti nutricem tuam*, id est, bonitatem divinam te sustentantem: sed sicut effusior aliquando est illa bonitas & miseratio largior, ita tum projectius in hanc peccatur, & tum maximè peccata dicuntur in bonitatem atque in Spiritum sanctum, cum sic directius & apertius divinæ gratiæ pessundantur. An divitias bonitatis eius contemnis?

Sic sanctus Thomas diversis ea de reproductis opinionibus, illorum sententiam refert & sequitur, qui dicunt peccatum vel blasphemiam esse, quando aliquis peccat contra appropriatum bonum Spiritui sancto, cui appropriatur bonitas, sicut Patri appropriatur potentia, & Fi-

lio sapientia. Unde peccatum in Patrem dicitur esse, quando peccatur ex infirmitate; peccatum verò in Filium, quando peccatur ex ignorantia, peccatum autem in Spiritum sanctum, quando peccatur ex certa malitia, id est, ex ipsa electione mali. Et nonnullis interjectis, explicans illam malitiam; *Contingit ex eo*, inquit, quod per contemptum abjicitur & remouetur id, quod electionem peccati poterat impedire, sicut spes per desperationem, & timor per presumptionem.

Quæ sancti Doctoris verba sunt valde observanda. Unde tandem concludit, quod sicut illa, quæ peccati electionem impediunt, sunt effectus Spiritus sancti, sic à se illa remouere, est malitia quædam singularis, ex qua qui peccat peccat in Spiritum sanctum.

Quanta sit autem illa malitia sive malignitas vel culpæ vel poenæ consequentis, satis evidenter expressit Dominus, quando dixit peccatum esse, quod non remitteretur neque in hoc seculo, neque in futuro; Quod sanctus Marcus ad peccatorem referens, sic ait, non habebit remissionem in eternum, sed reus erit aeterni delicti. Quæ formidanda Domini verba sic idem sanctus Thomas intelligenda quoad culpam fuscè declarat, *Sicut aliquis dicitur morbus incurabilis, secundum naturam morbi, per quem tollitur id, per quod morbus potest curari, puta cum morbus tollit virtutem naturæ, vel inducit fastidium cibi & medicine, licet talem morbum Deus possit curare. Ita etiam peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremissibile secundum suam naturam in quantum excludit ea per quæ fit remissio peccatorum. Per hoc tamen non præcluditur via remittendi & sanandi omnipotentia & misericordia Dei, per quam aliquando tales quasi miraculosè spiritualiter sanantur.* Et paulò post in responsis ad objecta: *Liberum, inquit, arbitrium remanet quidem semper in hac vita veribile, tamen quandoque abjicit à se id, per quod verti potest ad bonum, quantum in ipso est, unde ex parte sua peccatum est irremissibile, licet Deus remittere possit.*

Quod quia plurimi refert probè intelligere, sic sancti Doctoris sententiam eruditè illustrat Estius in commentariis. *Sensus est*, inquit, quod ejusmodi peccata nihil in homine relinquunt, ex quo sperari possit eius penitentia, & per consequens, peccati remissio. Nam qui peccat etiam graviter ex ignorantia, præsumitur convertendus, si veritatem esset edoctus; qui autem ex infirmitate peccat, præsumitur acturus

6.

Ephes. 4.

Bar. 4.

Rom. 2.

2. 2. q. 14. a. 1.

Marth. 12. Marc. 3.

2. 2. q. 14. a. 3.

ad 3.

Marc. 5.



penitentiam, ubi vehemens carnis passio transse-  
rit. At qui sciens & prudens ex destinata volun-  
tate peccat, nihil ejusmodi relinquit, ex quo spem  
resipiscitiae eius concipere liceat. Et fortasse hoc  
est peccatum ad mortem de quo Ioannes in prima  
Epistola, capite quinto.

1. Ioan. 5.

1. Cor. 13.

Ezech. 2. 4

Osee 6.

Sunt verò innumera quæ ex scripturis pro-  
ferri possent ad hoc ipsum confirmandum tes-  
timonia. Si mutare potes Æthiops pellem suam,  
aut pardus varietates suas; & vos poteritis bene-  
facere, cum didiceritis malum. Multo labore su-  
datum est & non exivit de ea nimia rubigo eius,  
neque per ignem. Immunditia tua execrabilis,  
quia mundare te volui, & nos es mundata à for-  
dibus tuis, sed nec mundaberis prius, donec quies-  
cere faciam indignationem meam in te. Ego Do-  
minus locutus sum, veniet & faciam. Non tran-  
seam, nec parcam, nec placabor; iuxta vias tuas  
& iuxta adinventiones tuas iudicabo te dicit  
Dominus. Quid faciam tibi Ephraim? quid fa-  
ciam tibi Iuda? misericordia vestra quasi nubes  
matutina, & quasi ros mane pertransiens. Id est,  
quicquid gratiæ contulero tam parum in vo-  
bis durat & agit, quàm parum nubes evanida  
vel ros matutinus qui primo sole siccatur. An  
divitias bonitatis eius & patientia & longanimi-  
tatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei  
ad penitentiam te adducit: secundum autem du-  
ritiam tuam & impenitens cor, thesaurizas tibi  
iram in die iræ & revelationis iusti iudicii Dei.  
Vide hebræorum sexto, tum decimo. Ex qui-  
bus & aliis, quæ satis ubique patent, qui non  
videat quàm sit singularis malignitas huius  
peccati, tantò magis in seipso id probat,  
quantò minus videt.

## II. PUNCTUM.

**S**ed iam multis peccatoribus, tibi forte Lector  
atque Auditor, hoc est commune & familiare,  
ut aperte contra bonitatem pecces.

Cum enim contra bonitatem aperte pec-  
care nihil sit aliud quàm aperte scire & sentire  
primò quidem quod peccetur, deinde verò  
quod peccetur contra conscientiam, contra  
manifestum rationis lumen, contra revocan-  
tes divinæ motus gratiæ; nonne hoc multis  
còmune est, ut sic præfractè peccent? Quod-  
cunoque tandem sit peccati genus ac species;  
sive sit superbia, sive invidia, sive luxuria, sive  
avaritia, gula, ebrietas, aut quod simile vi-  
tium: primò quidem quando ex ipsa naturæ

proclivitate patrat, simplex ac nudum est  
vitium contra virtutem sibi oppositam; sed  
procedente tempore cum peccator per gra-  
tiam respiscit, cum iterum labitur, iterum-  
que multiplicatis sæpe actibus cadit & resur-  
git, ac jam non sola fragilitate, sed malitia, sed  
impulsu prævæ voluntatis contra pugentes  
animi stimulos ipse se in peccatum sciens vo-  
lens præcipitem agit; tunc illud peccatum, il-  
lud ipsum quod ex suo ante genere peccatum  
fuit luxuriæ vel avaritiæ, sit peccatum contra  
Dei bonitatem, nempe contra tot lumina, tot  
gratias, tot bonos motus quibus peccatum  
emendaretur, & quibus omnibus peccator  
restitit; mutatur quodammodo peccati spe-  
cies, aut antecedente nova ista circumstantia  
bonitatis divinæ toties impugnata sic aggra-  
vatur, ut aliud coram Deo censeatur quàm  
reputatum esset, si talis peccandi ratio non  
intervenisset. Quanta est enim bonitas Dei,  
sic multoties delinquentem avocare, deterre-  
re, complecti, fovete, ac singularibus demer-  
eri gratiis, tanta est ejus malitia, tantaque de-  
licti labes & securura pernicies.

Quia vocavi, & renuistis; observa illud  
quia; sic enim suam Deus nosti: a opponit ma-  
litiæ bonitatem, & idcirco graviorem sibi vi-  
deri ait talem malitiam, quia tali repugnat  
bonitati.

Prov. 1.

Atque ut reipsum hic agnoscas, dic quo-  
tum agis annum? quibus subjaces vitis: a quo  
incipiunt dominari tempore? quoties inde  
fuiſti revocatus? quantis propterea lancina-  
tus animi stimulis? Ignorasne te peccare? de-  
suntne tibi præsidia seu motiva quibus pec-  
catum caveas? an illa tibi proponis vel abji-  
cis? fatere quod est. Nonne sapius in ipso pec-  
cati procinctu pedem retrahis, quasi nolens  
quod perpetras crimen: quasi audires contra  
monentem, quasi videres minitantem, quasi  
sentires avertentem? Et tamen, quæ est auda-  
cia tua, non desistis à crimine, non inde revo-  
cas animum, contra stimulum calcitras, nec  
quiescis donec opere compleas quod mento  
percepisti! Quid tu jam vocas istud peccati,  
nisi certæ cujusdam malitiæ divinam impu-  
gnantis bonitatem? Quid aliud dicebat san-  
ctus Thomas cum supra definiret istud pec-  
catum, vel peccatorem? Nonne hoc uno ve-  
luti caractere designabat ejus malitiam ani-  
mi, quod removeret à se id quod electionem pec-  
cati poterat impedire, velut timorem præsumen-

do de Dei bonitate? At nonne hoc ipsum est in quo peccas? nonne sanctum illum peccandi timorem, quem Deus iniecit, tu peccando abjicis & pessundas? nonne tibi fingis Deum ita bonum ut peccatis sit potius indulturus quam iraturus? Existimasti inique, quod ero tui similis; Nam si timeres, si divinam reformidares justitiam, non ita praecepta pereris, quo te libido concitat. Etenim quia non profertur ei contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.

III. PUNCTUM.

Sic est igitur singulare peccatum quod dicitur in Spiritum Sanctum, ut sit tamen multis commune peccatoribus. Singulare est in sua specie, singulare est in sua malitia, singulare est in sua consequente poena, sed commune est & familiare tam multis, quam multi sunt qui contra bonos illos motus a peccato avertentes, non timent se pe obistere & scientes volentesque peccare; Qui dixerunt Deo, recede a nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus: hoc enim ipse peccandi actus dicit, hoc ipse efficitur peccati factus. Repullus recedit Deus, & viarum ejus scientia repudiatur. Quam multi porro sint, qui sic liberè vivunt & peccant, tam evidenter patet, ut vix de mundo sint alii, qui non sic liberè vivunt & peccant. Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus imperu vadens ad praelium.

Quid verò inde sequitur, nisi quod peccatum illud quod multi leve putant, sit valde grave ac damnosum? Elatio quippe contemnentis atque inpenitentis obstinatio, inquit sanctus Bernardus, in minimis quoque mandatis, culpam facit non minimam, & convertit in crimen gravi rebellionis, nam vnum satis leve simpliciter transgressionis. Non jam attenditur quid peccetur, sed qua fronte, quo animo, qua libertate peccandi. Non arguit peccatores illos divina justitia, quod se oblectant inquina verint cogitationibus, quod pecunia, quod deliciis plus a quo sese dederint; nihil horum commemorat, sed quod extenderit manum suam, & non fuit qui aspiceret, quod despexerint omne consilium suum, & increpationes suas neglexerint. Hoc illa in peccato considerat, hoc expendit & in ju vocat; hoc unum denique est, unde haec peccatoribus tam gravis poena decernitur: Ego quoque in incertu vestro ridebo & subjannabo, cum vobis id quod timebatis advenit, cum irruerit repentina calamitas & intretus quasi tempestas ingruerit, quando venerit

super vos tribulatio & angustia. Tunc in Occubunt me & non exaudiam, mane conurgent & non invenient me; eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acqueverint consilio meo, & detraherint univere correctioni mea; Quali non sufficeret peius vel semel dixisse, hanc eorum esse peccati poenae causam, quod oblatas neglexerint gratias; rursus hoc repetit, & primum ac postromum hoc ut intelligamus latagit, & omni modo providet, quia hoc uno maxime decipimur, quod quam ingravescant indices peccata nostra, quamque formidando interitu sint castiganda, non ponderamus.

Quapropter aptè Apostolus, dum ipse ait, quapropter sicut dicit Spiritus sanctus; hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Et qua plura pergit ex psalmo regio; unde tandem concludit, videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis descendendi a Deo vivo: sed adhortamini vosmet ipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.

Perpende singula; vide cur vocet in fidelibus cor malum incredulitatis. Nempe dum peccant, non credunt se tam graviter velle peccare, ut discedant a Deo vivo, privati ejus gratia & sempiterna gloria; nolunt sibi hoc persuadere, ne a peccato deretantur; quod certè incredulitatis genus est, & certum mali cordis signum, cui placet peccatum.

Deinde verò considera, quam opportune dicit, adhortamini vosmet ipsos, nam quod extremum est humanae malitiae, selemutis homines sermonibus adhortantur ad vitia, nec si adessent pravitate probatores, vix essent pravitates. Defecit sanctus, diminuta sunt veritates a filiis hominum: vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum. Venite & fruamur bonis quae sunt, & ut amur creatura tanquam in juventute celeriter. At contra, inquit Apostolus, aut simili si vultis modo in te dissimili, vosmet ipsos excitare per singulos dies, donec hodie cognominatur. Quid verò istud, donec hodie? Singuli forte dies, donec hic vivitur, possent intelligi, cum donec expirent homines, non expiret tempus gratiae, non misericordiae cesset dies. Verum cum alludat ad verba psalms, hodie si vocem Domini audieritis, non alio sensu intelligendus est Apostolus quam ipso psalmista Regii, qui manifestè nobis indicat dies esse

Ps. 49.

Eccl. 8.

Ps. 21.

Job. 3.

Lib. de precepto dispens. s. 14.

Prov. 1.

Hebr. 3.

Ps. 94.

Ps. 11.

Sap. 1.

Prov.

Eccl.

esse aliquos, quibus apertius vox è cœlo fundatur, quam audire homines tanti referat, quanti recipere vel negligere, quæ curæ illa voce simul offeruntur dona cœlestia. Non ita quidem semper certo ac definito tempore concluduntur illæ supremæ monitiones, quin se in plures extendant dies: At non ita verò sese illi effundunt dies, quin sæpe contrahantur & contenebrescant; quamobrem ab illo ipso sancto Spiritu, qui luminum & gratiarum est divisor & donator, admonemur ut *donec hodie cognominatur*, quo is videlicet die lumen & vocem effudit, tum affectos mentis oculos atque aures habeamus, ne quid ex oblati gratiis nobis deperat. *Nolite obdurare corda vestra*, nolite sic prolatare conversionem, quasi alias cum libuerit, tanta possitis facilitate converti. Quod Christus Dominus apertè dixerat, *ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebra comprehendant*. **ORATE ut non fiat fuga vestra hyeme aut sabbato.**

Si quis autem illustris dies, si quis ex illis unus est fortunatis & serenis, quibus nobis illuceat & loquatur Dominus, certè est hodiernus, quo effusi quondam Spiritus sancti memoria non alio præferim nomine celebratur, quam ut eandem pro captu nostro participemus gratiam. Quamobrem hodie qui vocem ejus audivistis, nolite obsurdescere, nolite obdurare corda vestra, ne forè nunquam audiat. En vox hodierna quam audistis; peccatum vestrum, nisi diligentius cum gratia caveatis, *peccatum est in Spiritum sanctum*, peccatum est contra bonitatem Dei, peccatum est ex certa quadam malitia, peccatum est quod vix remitteretur, peccatum est in quo moriemini si persistitis in eo vivere. Si contra hanc vocem cor induratis, cor illud erit durum, de quo Sapiens; *Cor durum habebit malè in novissimo*; & qui amat, *periculum in illo peribit*. **CONVERTIMINI ad correptionem meam, et proferam vobis Spiritum meum**, quo id scilicet nunc possitis facere, quod postea vobis erit tam arduum, ut posse desperetis: eò enim tandem devenitur, & penè omnis in desperationem transit præsumptio. Sicut nempe qui nimis differt, se semper posse præsumit; sic quando nimis distulit, jam se posse desperat. Nunc ergo donec dies est, donec hodie cognominatur, *convertimini & agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*.

*tas. Projicite à vobis omnes pravitationes vestras in quibus pravaricati estis, & facite vobis cor novum & Spiritum novum; & quare moriemini domus Israel, quia nolo mortem morientis dicit Dominus Deus, revertimini & vivite.*

Jungendus vobis affectus & effectus affectui.

Vide in 1. parte pro hac singulari materia, Dominicam 4. Adventus. In 2. Dominicam Septuagesimæ. In 3. Dominicam 9. In 4. Veritatem 5. hebdomadæ 19. & diem 22. Septembris, in Festo sancti Matthæi, ubi habetur hæc Veritas:

Qui differt sequi gratiam, Spiritui gratiæ contumeliam infert.

Quod si quis forte contenderet, quæ hic dicta sunt de peccato in Spiritum sanctum, tum vera tantum esse, quando peccatum illud cum blasphemia conjungitur: sit veritas sequens; præcedentis confirmatio, & difficultatis solutio.

Qui peccant in Spiritum sanctum, vix peccant quin blasphemant.

Ratio est, quia blasphemare in Spiritum sanctum hoc esse dicitur, quando aliquid de illo affirmatur, quod non est, vel negatur quod est. **SED qui peccant in Spiritum sanctum, prout ordinariè modo peccant, vix peccant quin affirmant de illo quod non est, vel id negant quod est; ERGO & vix peccant quin blasphemant, quod est horrendum dictum.**

Totus discursus ex Divo Thoma colligitur, locis annotatis, ubi de hac expressè materia. Prima quidem propositio nullam difficultatem habet, & volenti rem explicare sufficit, præsto sunt apud sanctum Doctorem variæ species, quibus univèrsim in Deum, & particulatim in Spiritum sanctum blasphematur.

Secunda verò propositio sic declaratur. qui modo peccant in Spiritum sanctum, his tribus modis, ut plurimum peccant, in quibus sigillatim ostenditur vix illos peccare quin affirmant vel negent falsum de hac divina persona.

Primus est, qui jam supra est explicatus, quando remouentur illa quæ peccati electionem possent impedire, vel quæ poenitentiam possent inducere: tunc sine dubio peccatur directius in Spiritum sanctum, quia ille est

Bbb 3 qui

Joan. 12.  
Matth. 24.

Eccl. 3.

Prov. 1.

Jerem. 18.

2. 2. q. 13.  
& 14.

Sap. II.

qui bonitate sua nos à peccato committendo retrahit, vel à commisso revocat: unde illud ex sapientia semper memorandum: *O quam bonus & suavis est Domine spiritus tuus in omnibus: loque eos qui exerrant, partibus corripis, & de quibus peccant, admones & alloqueris, ut relicta malitia credant in te Domine.* Econtrà verò exclamandum: *ò quam malignus & durus est peccator, qui tantæ bonitati resistit!* Sed quam sit etiam blasphemus & impius, sic demonstratur, quia sic peccantem hominem si roges, cur ita benignè avocantem à peccato repudiet Spiritum sanctum; vel negabit se tantam experiri bonitatem, vel si tantam experitur, affirmabit se sperare semper illum tam bonum fore Deum, ut quoties ipse peccator velit resurgere, velit & bonus Deus, atque ita non timeat, & stimulum si quem sentit, retundat. *Sic stultus tuansit & confidit, ut ait Sapiens.* At nonne hoc est vel negare verum vel affirmare falsum de Spiritu sancto?

Pr. 14.

Quid verius quàm quod de hoc divino spiritu jam dictum est, quod peccatores à pravitate avocat, & quid proinde falsius quàm id negare? Quid deinde magis oppositum sacris scripturis, quàm negare divinam justitiam, aut eam affirmare bonitatem, quæ tota peccatis sic blandiatur & indulgeat, nunquam ut illa puniat, nunquam ut peccatorè destituat illis auxiliis, quibus ante fovebatur, cum expressè sit scriptum; *ne dixeris, peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor; de propitiato peccato noli esse sine meo, neque adjicias peccatum super peccatum; & ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur, misericordia enim & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore ira disperdes te.* Poteratne Scriptura gravius & expressius denunciare quàm timenda esset peccatori justitia, & quàm formidanda præsumptio, qua sibi palpat peccator de impunitate peccati? Potestne verò quidquam magis falsum de Spiritu sancto dici, quàm quod magis oppositum dicitur ejus verbis?

Eccles. 5.

Secundus modus, in quo præsertim jam peccant homines contra Spiritum sanctum, est impugnatio veritatis agnitæ vel ita manifestæ, ut illam qui non vident, nolint videre. Nolunt intelligere, ut bene agant. Tales sunt

non illi modò, qui à fide catholica sunt alieni, sed quotquot moribus suis repugnant Evangelio, nonne & verbis illud impugnant, quibus sese tueantur in illis suis moribus? Quid clarius quàm quod de beata prædicatur paupertate? de beatis miseris & injuriis injustè ac patienter latis? quis ramen se in illis felicem credat? quis è mundo paupertatem tanquam summum malum non detestetur potius quàm se in illa beatum putet? quis illatas sibi non doleat quantumvis leves injurias? quis se denique vel de mundo esse censeat, licet torus sit in explendis concupiscentiis? vel se de mundo esse, quis perniciosum putet, licet apertè mundus sit in Scripturis proscriptus & damnatus? Jam verò si tam appetitæ repugnare scripturæ sit apertam impugnare veritatem, & peccare in Spiritum sanctum, ut expressè docet Divus Thomas ex sancto Augustino, nonne est simul negare verum & affirmare falsum de sancto illo Spiritu, qui est *spiritus veritatis quem mundus non potest accipere*, quia se illius veritati opponit?

Tertius denique modus est, quo pene omnes peccant, cum vix unus sit, qui non sibi optet ingenium præstans & sublime, & vix tamen ullus sit qui Spiritum sanctum hoc sibi optet nomine, licet illo nullum præstantius & sublimius possit esse ingenium. Nonne si quem videres expressè affirmantem posse aliquid Spiritu sancto reperiri præstantius, non dubitares illum affirmare falsum, & mentiri, & peccare in divinam illam personam? Tu verò qui humanum & naturale ingenium quo posses esse doctus, eloquens, & mundo illustris magis optas quàm illud spirituale, quo posses esse humilis, pauper, abjectus & patiens; quid hoc esse putas nisi affirmare aliquid præstantius divino Spiritu? Quod enim illud tibi magis velles quàm istud, non alia profectò potest esse causa, quàm quod illud putares tibi melius, tibi vel commodius vel honorificentius vel delectabilius. At quæso te, quandoquidem illud ut aliquid melius optas, nonne hoc ipso affirmas esse melius? Fierine potest ut aliter aliquid magis optes, quàm ut simul existimes majus esse bonum? Cum enim bonum sit quod omnes appetunt, certè illud, quod quis magis appetit, majus illi bonum videtur, nec aliter magis appetit, quàm quod ita videtur. *Omnia probate, quod bonum est tenete*, inquit Apostolus,

9. 14. ad  
Ioh. 14.

Levit

Marc

1. Pet

1. 14.  
ad 1.

1. Thim. 5.

Ius,

lus, postquam expressè dixit: Spiritum nolite extinguere, quasi diceret, si qua donorum naturalium cum spirituahibus fiat comparatio, cavete naturalia spirituahibus preferatis; quod bonum est, tenete, nempe quod est spirituale, quod est à bono & sancto Spiritu. Tu verò, qui aliud censès, nonne fallum censès de illo divino Spiritu? nonne illum arguis de iudicio quasi sit infirmus, quasi tantum seferetur humilia, despecta & vulgaria; sicut ille mundum arguit de iudicio quod sit superbum, arrogans, animale, vanum & diabolicum? ò divina & humana iudicia, quàm sunt dissita, quàm sunt disparia, sicut scilicet exaltantur caeli à terra.

Sic igitur qui modò peccant in Spiritum sanctum, hoc ipso contra blasphemant, quo peccant: aut vix certè peccant quin blasphement, quia modò tribus illis modis, qui recensiti sunt, frequentius contra peccatur, quibus qui peccant modis, pene semper unà simul affirmant aut negant aliquid secus quam sentiendum esset de divino Spiritu, quod est propriè blasphemare, quo sensu in Scripturis usurpatur. Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput eius, & lapidet eum omnis populus. Tam grave scilicet crimen est, ut neque minori sit expiandum poena. Nunc illa verò corporalis in spiritualem poena mutata est, & tantò magis aucta quanto spiritus anteit corpori, & quanto aeternitas temporis; dicente Domino:

Levit. 16. Qui blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in aeternum. Id est, qui peccaverit quo jam solent modo peccare frequentius, qui peccant in illum divinum Spiritum.

1. Pet. 3. Hi sunt illusores, de quibus Princeps Apostolorum, venient in novissimis diebus, in deceptione, illusores: juxta proprias concupiscentias ambulantes; quibus scilicet ut liberius indulgeant, illudunt sacris omnibus dictis, quibus inde averti possent. Et licet nihil ore proferrent, hoc ipsum tamen corde loquuntur & cogitant, hoc ipsum suis prae se ferunt operibus, unde est blasphemia cordis, oris & operis, ut ait sanctus Thomas, cujus verba sunt valde observanda; Sicut, inquit, confessio fidei non solum consistit in protestatione oris, sed etiam in protestatione operis: ita etiam blasphemia Spiritus sancti potest considerari in ore, & in corde, & in opere. Unde illi omnes qui vitam agunt

repugnantem illis veritatibus, quas manifestè docet Spiritus sanctus; tamen nihil aliud contra dicerent aut cogitent, vita eorum loquitur, vita eorum tam verè blasphematur & irritatur sanctum Domini, quàm suis verè operibus impugnant & cognitam veritatem. Cui exprobrasti & quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam, vitam tuam, & elevasti in excelsum oculos tuos? contra sanctum Israël NVNC verò deponite & vos omnem iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, & turpem sermonem de ore vestro.

De aliis verò quæ generatim spectant aut quæ referri possunt ad solennitatem hodiernam, vel ad materiam de Spiritu sancto, præsto sunt hæc sparsim expositæ Veritates.

Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus. Nunquam est amor Dei otiosus. Amor non nisi amore componatur. In 1. parte, Feria 4. 6. & Sabbato hebdomadae 3. in Adventu.

Sic charitas & constantia simul junctæ constant, ut nisi sint simul junctæ, non sibi consistunt. In 2. p. Fer. 5. hebdomada Sexagesima.

Colloquendo de divinis, quanto magis lucet quàm ardes, tantò minus in te lucet divina charitas. In 2. p. Feria 6. hebdom. 2. post Pascha.

Aut nulla aut tota est charitas in agendis, sicut fides in credendis. In 2. p. Feria 4. hebdomada 4. post Pascha.

Affectum probat effectus. In 3. parte, Feria 2. hebdom. 9.

Tantò unusquisque est magis aut minus bonus & sanctus, quantò magis minutè participat de Spiritu sancto. In 3. p. die 11. Junii de S. Barnaba qui dictus est vir bonus & plenus Spiritu sancto.

Diminutio cupiditatis augmentum est charitatis; & augmentum cupiditatis diminutio charitatis. In 3. p. Dominica 17. ubi & plura de charitate.

Huc etiam referri possunt, quæ tota sequenti hebdomada continentur.

FERIA

4. Leg. 19.

Col. 3.

155.

Levit. 16.

Marci 3.

1. Pet. 3.

114. 8. 1. 41.

# FERIA SECUNDA.

## DE PRIMA PRÆDICATIONE SANCTI Petri ad Iudæos:

### Et de dono Intellectus.

*Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam & locutus est eum: Viri Iudæi, & quæ habitatis Ierusalem universi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea, &c.*  
A.C. I.

#### VERITAS PRACTICA.

Quod intellectus confert actioni, hoc actio refert intellectui.

*Sensus & ratio est, quia quod intellectus confert actioni seu virtuti exercendæ, est cognitio eorum, quæ sunt necessaria ad illius virtutis exercitium.*

*Sed ipsa virtus exercita, refert illam cognitionem, seu multum confert ad illam ipsam cognitionem augendam.*

*Ergo quod intellectus confert actioni, hoc actio refert intellectui: ac proinde si ad veritatem practicam requiris intellectum, require magis ad intellectum, veritatem practicam.*

#### I. PUNCTUM.

**C**um loquentes Apostolos omnium gentium linguis magna Dei, quidam e Iudæis iriderent & dicerent eos esse inusto plenos & ebrios, tum sanctus Petrus commodam inchoandæ prædicationis nactus occasionem, silentium postulat. Et mox: *Non sicut vos estimatis, inquit, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia, sed hoc est quod dictum est per Prophetam Ioël, Et eris in novissimis diebus, dicit Dominus: effundam de spiritu meo, super omnem carnem. Vide quæ fufius profertur, & mirate primò, quanta facilitate Prophetias & Psalmos referat & intelligat. Deinde quanta sceleritate persuaserit quod volebat de Domino Jesu, adeo ut statim post finitam concionem, compuncti corde dixerint, quid faciemus, viri fratres? Petrus autem ad illos: penitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spi-*

*ritus sancti: Et post multa: Salvamini à generatione ista prava. Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa anima circiter tria millia. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.*

Hic erat status nascentis Ecclesiæ, & in eo manifestum apparebat donum intellectus, quo non tantum Apostoli, sed & ipsi Iudæi tam cito intellexerunt quæ audierunt, & tam ferventer executi sunt quæ intellexerunt. O quam velox est sermo sapientiæ, ait sanctus Leo, & ubi Deus magister est, quam citò discitur quod docetur.

Valde exoptandum est istud donum intellectus ad veritates nostras practicas exercendas; sed & ipsæ veritates celeberrimè sunt exercendæ ad recipiendum vel augendum istud donum. Nam quod praxi seu actioni confert intellectus, hoc ipsum actio refert intellectui, nempe cognitionem eorum omnium, quæ sunt ad illius veritatis aut virtutis exercitium necessaria: seu ad quamlibet actionem ritè peragendam.

Cum enim actionis cuiuslibet perfectio multum dependeat à circumstantiis personæ, loci, temporis, finis, modi & aliis; plurimæque inde dubia & difficultates nasci possint, nisi animus cœlesti quodam lumine collustreretur; hoc lumen confertur dono intellectus, cuius proprium est *intus quodammodo legere*, ut ait sanctus Thomas, quæ alioquin nec in Scripturis, nec in libris, nec naturali nec fidei lumine capi possent. *Quæ sunt Dei, inquit Apostolus, nemo cognovit nisi spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à deo donata sunt nobis. Itaque crebro cum*  
Davidè

Pf. 118. Davide dicendum: *Da mihi intellectum & serva-  
tor legem tuam, & custodiam illam in toto  
ibid. corde meo.* Et iterum; *Da mihi intellectum, &  
discam mandata tua.*

II. PUNCTUM.

**S**ed ipsa virtus exercita refert illam cognitio-  
nem, seu multum confert ad illam ipsam cog-  
nitionem augendam.

Hoc sacra passim Scriptura, hoc sancti Pa-  
tres, hoc ratio & experientia manifeste probant.  
Pf. 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum;*  
*id est, verè illi sapiunt qui faciunt quod intel-*  
*ligunt; & faciendo prout intelligunt, me-*  
*rentur intelligere quod melius & perfectius*  
*agant. Sic datur manibus intellectus & con-*  
*sistum, ideoque de se suisque David affirma-*  
Pf. 77. *bat: In intellectu. bus manuum suarum deduxit*  
Pr. 31. *ess. Et Sapiens de forti muliere: Operata est*  
*consilio manuum suarum: nempe secundum*  
*intelligentiam quam agendo percepit. Unde*  
Pr. 9. *& idem Sapiens: Da occasionem sapienti, & ad-*  
Eccl. 10. *detur ei sapientia. Itemque alibi: Post indu-*  
*striam sequetur sapientia. Quod & Pfaltes re-*  
*gius sibi plurimum profuisse testatur: Super*  
Pf. 118. *omnes docentes me, & super senes intellexi, quia*  
11. Mor. 9. *mandata tua qua servi. QVI A enim, inquit S.*  
Pr. 24. *Gregorius, studuit operando implere quod didi-*  
*cit, accepit intelligere quod doceret. Idemque in*  
*illud Proverbiorum, prepara foris opus tuum,*  
10. Mor. *diligenter exerce agrum tuum: S V N T nonnulla*  
16. *inquit, cogitationis acumina qua ex operatione*  
*nascuntur: sicut ab animo opus sumitur, ita ab*  
*opere animus eruditur: Mens imperat bona qua*  
*fiant, sed ipsa suis exercitata actionibus, discit*  
*cum imperare bona inchoaverat, quantum mi-*  
6. Mor. 4. *nus videbat. Quod & ante in libris Moralium*  
*sic clarius expresserat: Qui & idcirco ad intel-*  
*lelligentiam alta perveniunt, quia agere qua intel-*  
*lexerunt, vel minima nulla contemnuunt, & dum*  
*sensum manibus adjuvant, sese ultra altitudinem*  
Prov. 30. *ingeniosorum levant; unde bene per Salomonem*  
*dicitur: Stellio manibus mittitur, & moratur in a-*  
*dibus Regis: quia illo simplex per intentionem re-*  
*cti operis pervenit, quod ingeniosus minime ascen-*  
Ioan. 13. *dit. Sic sanctus Augustinus ad illa verba Do-*  
*mini volentis lavare pedes Petri, Quod ego fa-*  
*cio, tu nescis modo, scies autè postea. CVM scilicet*  
*meo exemplo lavabis aliorum pedes, hoc ipsum*  
*quod modo facio ad humilitatis praxim melius*  
*intelliges.*

Haynesive Pars II.

Quid, quod tres omnium sapientissimi viri,  
sic dicuntur actione & exercitio cognitio-  
nem ream percepisse? Certè Adamo infusa  
erat scientia pene infinita, & tamen ex arbore  
scientiæ boni & mali, didicit, ut ait sanctus  
Augustinus, per experientiam quid esset bonum  
& malum; ac proinde sic dictam illam arbo-  
rem voluit, quòd inde deducta esset scientia  
quædam experimentalis boni & mali.

In Pf. 70.

Quis Salomone doctior & sapientior? Tam  
multa tamen se per actionem & experientiam  
didicisse profiteretur, quanta hæc quæ sæpe u-  
surpat verba significant, *sentavi, vidi, didici,*  
*intellexi, ecce hoc inveni:* & similia.

Eccl. 2.

Quod & magis mirum de Christo Domi-  
no, in quo cum essent omnes thesauri sapientiæ &  
scientiæ absconditi; & cum esset filius Dei, didicit  
tamen ex iis qua passus est, obedientiam, inquit  
Apostolus; tum paulò post quod subjungit,  
vide quàm aptum; perfectorum est solidus cibus,  
eorum qui pro consuetudine exercitatos habent  
sensus ad discretionem boni & mali: quasi dice-  
ret, hi sunt, qui perfectè intelligunt quid sit  
bonum & malum, qui sese exercent in illo fa-  
ciendo & hoc declinando. Unde non est mi-  
rum, si tam parum in divinis intelligas, qui  
tam parum operaris.

Coloss. 2.

Hebr. 5.

Ibid.

III. PUNCTUM.

**Q**uod igitur intellectus confert actioni, hoc in-  
tellectui refert actio: Et ad veritatè praxim  
si requiritur intellectus, ad intellectum etiam  
requiritur praxis, qua fit ut omnia melius co-  
gnoscantur. *Intellige qua dico,* ait Apostolus suo  
Timotheo, post commendatum impensè la-  
borem; tum ve:ò subdit, *dabit enim tibi Domi-*  
*nus in omnibus intellectu;* ut scilicet melius illa  
intelligas operando, quàm dum ipsa te doceo.  
Atque idcirco idem Apostolus tam sæpe om-  
nibus Christianis, ut opere exercerent quod  
docebantur, inculcat: *Propterea abundantius*  
*opertes observare nos ea qua audivimus, ne forte*  
*pereffluamus; SICVT ergo accepisti Iesum Christum*  
*Dominum, in ipso ambulate. QVÆCUNQUE sunt*  
*vera, quacumq; pudica, quacumq; iusta, quacumq;*  
*sancta, quacumq; amabilia, quacumq; bona fama,*  
*si qua virtus, si qua laus disciplina, hac cogitate.*  
*Qua & didicisti, & accepisti, & audisti, & vi-*  
*didisti in me, hac agite, & Deus pacis erit vobiscum.*

2. Tim. 24

Hebr. 2.

Col. 2.

Phil. 4.

Atque univèrsim Apostoli non tam multa  
prædicabant, quàm multum inculcabant

Ccc semel

**A. 14.** semel dicta, ut oblerarentur, *Confirmantes animas Discipulorum, exhortantesque ut permanerent in fide.* Quod in ipso nascentis Ecclesie exordio magis mirum est, ut supra retulimus, cum vix unum aut aliud præceptum docuissent Apostoli, dicuntur tamen omnes fideles *perseverare & perdurare in doctrina Apostolorum*, quasi jam doctrinam Christianam universam plenè didicissent; sed non tam multa scienda sunt ut faciamus, quàm multa facienda sunt ut sciamus. Exequamur pauca quæ novimus & plura cognoscemus. *Quia verò plures magis scire desiderant, quàm bene vivere,* inquit Thomas à Kempis, *ideo saepe errant, &*

*pene nullum vel modicum fructum ferunt. O si tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia, & virtutes inserendas, sicut ad movendas quæstiones!* Tibi, tibi hæc dicuntur

Ad Evangelium Feriæ: *Sic Deus dilexit mundum, &c.* Joan. 3. Vide in 1. parte, Feriam 2. primæ Adventus hebdomadæ: Ubi quæ de dono Filii dicuntur, accommodari rectè possunt dono Spiritus sancti: Quamquam, his diebus, non tanta debet haberi ratio propositi Evangelii, quanta Solennitatis exhibitæ, cui delervunt non modò quæ supra jam ipso die Dominico dicta sunt, sed quæ singulis hujus hebdomadæ Feriis referuntur.

1. de Imit.  
Chr. 3.

## FERIA TERTIA. DE PRIMO VIVENDI GENERE nascentis Ecclesie: Et de dono Scientia.

*Omnes qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia: possessiones & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Act. 2.*

### VERITAS PRACTICA.

*Qui eminentior est in hac eminenti scientia, minus inter homines eminere cupit.*

*Ratio est, quia eminere in hac scientia est, perfectè cognoscere tantum res humanas valere, quantum valent ad salutem.*

*Sed qui perfectè id cognosceret, non optabit inter homines eminere.*

*Ergo neque is, qui hac in scientia eminebit; quod certè est consideratione dignissimum.*

### I. PUNCTUM.

**H**oc erat primum vivendi genus nascentis Ecclesie, ut quotquot crederent, simul omnes conviverent, simul omnia sua conferrent, quæ omnibus essent communia, nihil ut suum quisquam diceret, sed singulis divideretur quod cuique videretur opus, & celeste & divinum vivendi genus! tanta erat certè in admiratione apud Judæos,

ut tamen non crederent, credentes tamen idcirco venerarentur quòd ita viverent. Sic appetit Divus Hieronymus ubi de S. Marco & primis Christianis: *Philo, inquit, disertissimus Iudaorum videns Alexandræ primam Ecclesiam adhuc judaizantem, quasi in laudem gentis suæ, librum super eorum conversatione scripsit. Et quomodo Lucas narrat Ierosolyma credentes omnia habuisse communia, sic & illo quod Alexandria sub Marco fidei Doctore cernebat, memoria prodidit.*

Quàm verò jam mutaræ rerum vices! quàm pauci modò sic suarum rerum contemptores! quàm multi retinentes! Sed nunquid mutatum Evangelium? nunquid mutata veritas, nunquid mutatus Christus? planè idem *heri & hodie, ipse & in sæcula,* inquit Apostolus, *seu illud est quod Propheta monuit: Iudicium Domini cum habitatoribus terra: non est enim veritas & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.* Donum erat scientiæ, quo sic primi Christiani humana omnia contemnebant, quemadmodum de se Apostolus tam expressè affirmat: *Veruntamen existimo* Phil. 3. omnia

1. de Scrip.  
Eccles.

Hebr. 13.

Osce 4.

Phil. 3.



omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrificarem. Dicitur eminenti scientia, quia valde eminet in vita Christi, & valde eminentes facit eos, qui sic omnibus rebus creatis supereminent. Sed tamen quod mirum est & valde considerandum; *Qui eminentior est in hac scientia, minus eminere cupit inter homines.*

1.2. q. 9.

Quod ut intelligatur, perpendendum accuratè quid sit eminere in hac scientia, nempe id perfectè cognoscere, tantum res humanas valere, quantum valent ad salutem & perfectionem. Sic aperit sanctus Thomas, *Ad scientiam, inquit, propriè pertinet rectum iudicium creaturarum; Tum ibidem: Homo per rectum iudicium scientia, creaturas ordinat in bonum divinum. Quasi diceret paucis his verbis, quod alii fufius, quisquis ex hac scientia de reb<sup>9</sup> creatis & humanis iudicat, de his rectè iudicat; & qui de his rectè velit iudicare, debet ex hac scientia iudicium sumere, quæ propterea scientia animæ dicitur de qua Sapiens: *Vbi non est scientia animæ, non est bonum.**

Pr. 19.

Jam verò qui rectè de his iudicat, non aliter eas æstimat nec aliter valere videt, quàm prout valent ad salutem seu bonum divinum, ad hunc enim finem sunt omnia condita; unde sequitur non aliud esse eminere in hac scientia, quàm sic perfectè cognoscere tantum res humanas valere, quantum valent ad salutem, quia hoc solum est rectè de his iudicare.

Prov. 30.

Sap. 10.

O scientiam divinam supra cæteras verè eminentem! ò quàm verè sapientissimus hominum dixit, se *stultissimum esse virorum*, quòd careret illa, quam vocat, *sanctorum scientia*, hinc etiam ab eodem aptè dictum de Domino, quòd *justum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum*; nempe hæc est scientia qua sancti per vias rectas deducuntur inter hujus vitæ prospera & adversa, sic utrisq; utendo quantum profunt saluti comparandæ.

## II. PUNCTUM.

**S**ed qui id perfectè cognoscet, non optabit inter homines eminere. Quo scilicet modo naturaliter desideratur ad vanitatem, ad jactantiam & æstimationem; nam cum hæc nihil

profint, imò valde obsint ad salutem, quomodo is ea desideraret, qui non aliter res æstimat & cupit, quàm prout ad salutem valent? Certè si pro salute aliena, si pro juvandis proximis, si pro defensione Ecclesiæ & veritatis, ac denique si ob similem aliquem bonum finem vellet quis eminere, ut, quantum plus eminet, tantò magis prodesse posset, laudabilis esset cupiditas: sed quotus quisque est qui sic purè & sincerè aliis præeminere velit, & non potius præesse quàm prodesse cupiat? Quod cum ad salutem tantum obsit, quantum cupiditas vehementius exardescet, nonne is qui probè id cognoscet, id omnino non optabit: aut sane salutem negliget?

*Nunquid possum desere pinguedinem meam, dulcedinem meam, & bonum meum, ut inter li-næ cetera promovear?* Sic oliva, sic ficus, & vitis dixerunt aliis lignis se in Regem suum volentibus constituere, ut refert apologus in libro Judicam. *Quantò tu verius: Nunquid possum desere vocationem meam, salutem meam, pacem meam, & Christum meum, ut inter alios forte magis emineam?*

## III. PUNCTUM.

**Q**uæ ergo est eminentior in hac eminenti scientia, minus inter homines eminere cupit.

Quia scilicet rectius de rebus iudicat, & hoc est rectum de rebus iudicium, sic eas æstimare quantum ad salutem valent, unde cum sic vane eminere inter homines nihil ad cælum profint, imò multum obsit, plane concludendum est, quod qui magis eminet in hac scientia, minus inter homines eminere velit, aut sibi ipse contradicat. *Qui altam facit domum suam, quarit ruinam.* Atque inde infer non nisi vanos, ignaros, & stultos eos esse, qui nullo probato sibi proposito fine, honores ambiunt vel avide oblatos suscipiunt; cur enim superbiunt & in superbiis suis exultant, nisi quia bonum se aliquod adeptos putant? At si veram haberent scientiam, itane iudicarent? Si autem vera illis deest scientia, nonne ignari sunt? Nonne imprudentes? nonne errant? nonne idcirco dicitur: *Propterea captivus dicitur: Deus est populus meus, quia non habuit scientiam. Propterea dilatavit infernus animam suam & aperuit os suum absque ullo termino.* Propterea etiam Sapiens factus sapientior, *Vanitas vanitatum, inquit, & omnia vanitas.* Non quòd

Prov. 17.

Is. 5.

Eccl. 1.

Sap. 14.

res creatæ & humanæ vanæ sint in se, quæ potius bonæ sunt, à Deo factæ & à Deo approbatæ: sed quia bonis male utitur homo; cùmque sit quasi ordinarius rerum usus ut non aliter eis utantur homines quàm ex inordinato appetitu, ideo dicuntur vanæ & malæ, atque in odium factæ, in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.

Hinc propterea fit, ut licet possent bona temporalia, honores & dignitates licite appeti, quæri & conservari, non modò ad hanc vitam temporalem, sed & etiam ad æternam; melius tamen deseruntur & contemnuntur, quia plus valent & proficiunt contemptra quàm possessa. Vix unquam tota vita plurimis actibus promotus ad dignitates promerebit, quod uno semel actu is merebitur; qui omnia sua præ-

sentia & futura reliquit effectum, vel affectum.

Atque hujus eminentis Christi scientiæ tres sunt veluti classes: *Bethleem, Nazareth, & Calvaria*. Disces in Bethleem abstinere superfluis aut necessariis, si quando permittat Deus. Disces in Nazareth bene uti concessis. Disces in Calvaria, sustinere defectum rerum omnium, exemplo illius qui cùm dives esset, propter nos egenus factus est, ut illius inopia divites esse possimus. O veras salutis divitias, sic scire & humiliari, & abundare; ubique & in omnibus institutum esse, & satiari & esurire, & abundare, & penuriam pati, & omnia posse in eo qui nos confortat.

Ad Evangelium Feriæ de Christo Pastore, ac ejus ovibus quarum est ostium, ex Joannis decimo, videnda tota hebdomada 21. in 4. parte.

## FERIA QVARTA. DE PRIMO MIRACULO QUOD refertur ab Apostolis factum:

Et de dono Consilii.

Petrus & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur, &c. Act. 3.

VERITAS PRACTICA.

IN PUNCTUM.

Qui cum affectu in composito Deum consulit, non Deum sed Deo consulit.

Non à Deo consilium petere, sed Deo dare velle videtur.

Ratio est, quia is Deo dare velle consilium dicitur est, qui pro affectu nimio quem circa rem habet aliquam, vellet Deum permovere potius ad suum affectum, quàm suum affectum subicere divini voluntati.

Sed qui cum affectu in composito Deum consulit, sic vellet ad se permovere Deum.

Ergo ille non Deum sed Deo consulit. Non à Deo consilium petere, sed Deo dare velle videtur. Quod cùm sit supra modum audax & impium, cavendus omnis affectus accedenti ad Deum, qui non sit conformis ejus consilio & voluntati.

Am dictum erat ab Historico factio, multa prodigia & signa per Apostolos in Jerusalem fieri, unde metus erat magnus in universis, sed quod primum narratur certum & determinatum miraculum, sanitas illius viri est, qui claudus ex utero matris bajulabatur, quem ponebant quotidie ad portam templi qua dicitur speciosa, ut peteret elemosinam ab introeuntibus in templum. Is cum vidisset Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat ut elemosinam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne dixit, respice nos; at ille intendebat in eos sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit, argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi dabo; in nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Et apprehensa manu ejus dextera, allelavit eum, & protinus consolidata sunt bases ejus & plantæ. Et exiliens stetit & ambulabat.

bat, & intravit cum illis in templum, ambulans & exiliens & laudans Deum.

Videri possunt quæ sequuntur de conversione quinquæ millium Judæorum, statim post hoc miraculum facta: sed quod præcipue considerandum modò venit, illud est quod initio refertur, Petrum & Iohannem ascendisse in templum ad horam orationis nonam. Non enim frustra locus & tempus hæc singulariter commemorantur, ut videlicet intelligamus illos tum Apostolos singulari motu, qui dicitur Spiritus seu donum Consilii, fuisse motos ut irent in templum, tali hora, quo loco & tempore tale patrarent miraculum, talemque Judæorum multitudinem erudirent & converterent. Licet enim Deus non sit abstractus locis, temporibus aut personis, sibi tamen eligit aliquando quædam loca & tempora, in quibus illud per aliquos operatur quod aliàs non efficeret. Et quidem verum est, quod ait Sapiens universim, *omni negotio tempus est & opportunitas*; sed id longe certius particularim, de quibusdam agendis quæ Deus uni inspirat aut alteri, certo quodam & determinato tempore cui non desse, tanti refert, quanti consilium Dei sequi vel negligere. Consilium Dei sperverunt apud semetipos, dicebat Christus Dominus de illis Judæis, qui prædicante sancto Iohanne Baptista, non erant conversi, sicut publicani; nempe illud erat tempus quo ex consilio Dei converti debebāt.

Ecc. 8.

Luc. 7.

O quam multi sic spernunt consilia Dei, etiam illi ipsi, quod magis mirum est, qui videntur eum consulere suis in negotiis, & rogare ut consulat sive inspiret, quid sit ipsis agendum! Quorquor nempe affectus inordinatos aut nimis tenaces retinent, nisi ante deponant quam consulant Deum, nullum ab eo consilium referunt, nec tam videntur consilium à Deo petere, quam velle illi dare, *Non Deum sed Deo consulunt*. Qua impietate cum nihil sit dementius, nihil sceleratius: visa est huius veritatis consideratio potentior, si sic proponeretur ad componendos animos, quoties Deum adimus de re aliqua consulendum aut rogandum. Aut componendus ante affectus quam Deum consulas: aut si cum affectu incomposito Deum consulis, hac te impietate obstringis, ut Deo dare consilium magis velle videaris quam ab eo petere vel expectare.

Ratio rem aperte declarat; tum enim Deo consulere, vel consilium dare velle dicendus

est, qui Deo importunè suggerit quod faciat, & eum acius permover ad illud ipsum efficiendum: nam hoc est absolute & universim loquendo consulere cuiusvis personæ, quando vel petenti consilium vel non petenti, proponis ultro quid faciat: & rationes adhibendo cur ita faciat, in fectis voluntatem ejus in id quod consulis: unde sicut bonum est opus si bene consulis; sic planè malum, & consulenti pessimum si perversè cuiquam consuleres; sic enim Sapiens, *facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur*. Longè est autè aliud, Deum orare quantum vis etiam vehementer & cum ardenti affectu; atque aliud, ipsum adire & rogare eum tali studio & affectu de quo hic loquimur, qui scilicet tanta rei quam petit cupiditate teneatur, ut sibi potius Deum quam se Deo subijciat: qua de pravitate dictum est in prima parte, latiusque patet quam sit impium, cum vel ex ore impio sacra hæc verba proflexerint, *rustum est, subditum esse Deo*: vel & major loquentem de his pravis consultoribus audire Apostolum; *Ignorantes, inquit, justitiam Dei, & suam quærentes statuere, justitia Dei non sunt subjecti*. Quasi diceret, qui sic eum Deo agunt, ut humanis suis rationibus magis consulrum velint quam divinis, videntur velle de justitia eum ipso Deo contendere, nec verentur etiam sese quodammo magis justos & æquos profiteri. Hoc nempe est quod semper præ se fert qui sic alteri consulit, ut suo illum consilio velit ad se pertrahere.

Ecclesi. 27

2. Macc. 9

Rom. 10.

## II. PUNCTUM.

**S**ed qui cum affectu incomposito Deum consulit, sic velle si posset, Deo suggerere quid faciat, atque ad illud ipsum faciendum permovere.

Vellet eam Deum suo conformiter affectui respondere, & approbare, & indulgere quod concepisset. Et licet verbis non exprimat, licet etiam aliud ore petat, quam quod affectu desiderat, tamen Deus, qui affectum magis considerat quam verba sibi loquentium, videt in illius animo qui se rogat, sic informatum affectum ut si auderet, planè suggereret Deo quid secum ageret: atque ut ipsum quod suggerit ageret, quantum in se est permoveret. *Quis clamas ad me*, dicebat Dominus Moyli, cum tamen nihil iste proflus oraret; sed ut optime ait sanctus Gregorius, *valentiores*

Exodi 14.

Ccc 3

lentoies

*lenticiores voces apud secretissimas aures Dei non verba faciunt sed desideria.*

*Ecclesi. 1. 6. 2.*

Atque illi propterea qui sic aliud desiderant & aliud orant, dicuntur esse duplici corde & labiis scelestis; dicuntur accedere malignè ad Dominum, & cor eorum plenum esse dolo & fallacia: de quibus vide Ecclesiasticum, primo & secundo capite. Satis hic fuerit ad plenam propositionis elucidationem illud expendere, quod expressè habet S. Augustinus de hoc argumento: *Vbi quoque veritas praesides omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus etiam diversa consulentibus. Liquidè tu respondes, sed non liquidè omnes audiunt. Omnes unde volunt consulunt, sed non semper quod volunt, audiunt. Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur hoc à te audire quod ipse voluerit, sed potius hoc velle quod à te audierit.*

*L. 10. Confess. c. 26.*

Videlicet quid voluntas consulentis Deum, velle à Deo? nempe quod ipsa vult non quod ipse. At quænam est illa voluntas, nisi quæ affectum habet incompositum & depravatum? Quid est autem voluntatem velle potius à Deo quod ipsa velit, quàm quod ipse; nisi velle Deo suggerere quod nobis respondeat & indulgeat? Sit fas aut nefas quod perit, hoc unum æquum ducit quod illa voluntas appetit. O peruersum peruersissimæ voluntatis affectum! peruersus certè affectus qui sic voluntatem corumpat, sed peruersissima voluntas quæ sic velit Deum sibi attrahere! *Nunquid Deum docebit quispiam scientiam, qui excelsos iudicat?*

*Iob 21.*

III. PUNCTUM.

**Q**uisquis igitur cum affectu incomposito Deum consulit, non Deum, sed Deo consulit: non à Deo consilium petit, sed ipsi dare velle videtur. Quia quod in affectu habet, velle Deum sibi respondere: velle quantum amat illud quod amat, sic persuadere Deo ut id ipsum amaret & consuleret, quod est tam verè velle Deo

consulere, quàm verè Deus nobis consulit, quando quid proponit quod sequamur si velimus. *Populus ad iracundiam provocans est, & filii mendaces, filii volentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus, nolite aspicere ea quæ reclusa sunt. Loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Israel.*

*Is. 39.*

Planè hoc ipsum est quod dicimus, hoc est quod tractatur in ejus animo qui cum affectu malè composito Deum adit, siue ipsum immediatè adeat siue mediatè, interponens quos putabit efficaciores ad id obtinendum, quod vehementius cupit. *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in Regno tuo. Nonne hoc est consulere Christo, quid faciat? Nonne hoc est quod tam sæpe facis, quàm sæpe velles non aliud tibi à Deo suggeri quam quod ipse desideras? nonne vides quàm sit hoc peruersum & profanum cum sic velles detorquere cor Dei quod semper rectum est, ad pravitatem cordis tui, ut ait sanctus Augustinus? Cum sic velles habere Deum te sequentem & te illum præcedentem; Cum sic velles consilia tua divinè anteferre; Cum sic velles Deum regere potius quam ab eo regi! Num consiliarius Regis es? quæscit, ne interficiam te. Sic Amasias cuidam Prophetæ; sic Deus tibi; sic tu Deo; sed quàm longè diverso modo! Expende pensularim, & hæc Apostoli verba; *Quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* ut fiat tandem quod monuit Sapiens: *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua ut audias. Id est, vide quomodo adcas Deum, quo cordis affectu, ut eum consulas, qua mentis dispositione, ut consulentem audias & sequaris.**

*Matth. 20*

*In Ps. 64.*

*1. Par. 1.*

*Rom. 11.*

*Ecclesi. 4.*

Vide in 4. parte, Feria 4. & 5. hebdomadæ 18. Et pro Evangelio Feriæ, In 3. parte, Feria 5. 6. & Sabbato hebdom. 13.

FERIA QVINTA.  
DE PRIMA PERSECVTIONE APOSTOLORUM. Et de Dono Fortitudinis.

*Quid faciemus hominibus istis? Comminemur eis, ne ultra loquantur in nomine hoc, ulli hominum. Act. 4.*

VERI-

VERITAS PRACTICA.

Qui non satis audet in magnis, nimis audet in parvis.

*Ratio est, quia qui non satis audet in magnis, non satis fidit Deo.*

*Sed qui non satis fidit Deo, nimis audet & in parvis.*

*Ergo qui non satis audet in magnis, nimis audet in parvis. Aut si quid audet in parvis confisus Deo, sic confidenter audendum in magnis.*

I. PUNCTUM.

**M**iraculis & prædicationibus sancti Petri res Christiana feliciter admodum progrediebatur; ac ecce indignantur Sacerdotes illorum temporum, Magistratus templi, Scribæ, Saducæi, & quotquot nomen Domini non libenter audiebant, injiciunt manus in Petrum & Joannem, ponunt eos in custodiam, advocant ambos in concilium suum, interrogant in qua virtute aut in quo nomine claudum sanaverint, comminantur ne ultra loquantur in nomine hoc, iterumque denunciant, ne omnino doceant in nomine Jesu.

Contra verò Apostoli; *Si justum est, inquit, in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, judicate; non enim possumus quæ vidimus & audivimus, non loqui.* At illi comminantes tum quidem dimiserunt illos; sed cum non desinerent à prædicatione & à miraculis, magisque augetur credentium in Domino multitudo, virorum ac mulierum, fieretque concursus omnium ægrotorum, & sanarentur omnes; tum princeps Sacerdotum & Saducæi novo repleti zelo rursus injiciunt manus in Apostolos & constringunt eos in custodia publica, unde ab Angelo statim educti & confirmati ad prædicandum, accersuntur iterum à Magistratu, accusantur rebellionis & seditionis, & post multos utro citroque sermones habitos cæcis denuntiat, ne omnino loquantur in nomine Jesu, & dimittuntur. *Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Omni autem die non cessabant in templo & circa domos docentes & Evan-*

*gelizantes Christum Iesum.*

Hæc omnia fusius & distinctius, Actuum quarto & quinto capite, ex quibus non modò liquet quam gravis Apostolorum persecutio fuerit, sed quanta eorum fortitudo & constantia; ut non solum patienti, sed læto & gaudenti animo contumelias & flagra pertulerint; quod eò magis mirum est, quòd non ita pridem ad vocem unius ancillæ primus S. Greg. eorum turpiter Dominum suum negaverat. O *Pf. 117. verè dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit eos.*

Donum illud erat fortitudinis, quæ ad virtutem ejusdem nominis additur ad pervincenda difficiliora, & consummanda inchoata, usque in finem, cum singulari quadam fiducia divini auxilii contrarium timorem excludente, ut ait sanctus Thomas. Hæc est fortitudo non modo Martyrum, sed & eorum omnium qui vocati à Domino ad quævis ardua munia, sic in ejus confidunt potentia & auxilio, ut æquè in magnis audeant atque in parvis, quia in illis æquè potens est Dominus in quo confidunt atque in istis. *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus.*

Tu in parvis quidem & facilioribus satis audes, sed in magnis & difficilioribus non ita forsan. At verò audi veritatem propositam, *Qui non satis audet in magnis, nimis audet in parvis.* Quæ quidem veritas non idcirco proponitur ut non in parvis audeas, sed potius ut à teipso discas etiam in magnis audere, cum sit eadem ratio in utrisque. Atque hæc ratio magis urgebit, cum ita concludet tam necessario in magnis esse audendum ac in parvis, ut si non satis in illis sit audaciæ & fortitudinis, nimis in istis audeas & præsumas. Sic autem facile declaratur. Qui non satis audet in magnis non satis Deo fidit, non satis sperat in ejus gratia & auxilio: quia si certò consideret sibi tale affuturum auxilium quale exigit actio quam aggreditur, cur timeret? cur non auderet? *Confortate manus dissolutas, ait Propheta, & genua debilia raborate. Dicite pusillanimis, confortamini & nolite timere.* Quasi diceret, idcirco infirmi estis corpore & fracti animo, quia timeris: inde verò timeris quia non speratis in Deo: ac confortamini & jam nolite timere, quia vobis non deerit Deus. *Pf. 115. Sic aprè David: In Domino sperans non infirmabor: unde si post infirmatus esset, nonne ipsi*

ipsi rectè potuisses objicere. Tu non speras in Domino, quia in Domino sperans non infirmaris; atque idcirco hoc uno se te cum gratia confortabat, si quando deficeret; *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me, spera in Deo.* Nonne tu idem posses dicere, nonne hujus defectu fiduciæ nimis times, ubi erat audendum si Deo confidisses?

Ps. 42.

## II. PUNCTUM.

**S**ed qui non satis fidit Deo, nimis audet in parvis.

Nimis enim audet, qui sine Deo aliquid quantumcunque parvum & facile, se facturum putat, cum tam expressè Christus dixerit, *sine me nihil potestis facere*; ubi sanctus Augustinus, *sive parum sive multum sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.* At quisquis non satis fidit Deo, si quid audet in parvis, id audet quasi ex se posse quod parvum est & factum facile. O rebellem audaciam quæ nunquam longius se à Deo disjungit, quam cum se fingit propius ad ipsum accedere per bonum aliquod opus quod à se putat factum! Quid iniquius & sceleratius quam hoc audere, quam dicere de suis factis: *Manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia.*

Joan. 15.

Deut. 32.

Quod sic dicas te longè abesse ab hoc crimine, nec omnino putare te aliquid ex te posse in parvis sine gratia, cum id sit ita credendum ex fide: quæro abs te, undenam speres illam gratiam, qua sic confusus audeas ut nihil in parvis dubites? Dices profecto à Scripturis, à promissione Dei, ab ejus bonitate & misericordia. Rectè omnino: sed in isto, cur in magnis ad quæ te vocat Deus non æquè speres illam gratiam, cum sit æquè promissa in scripturis, & æquè expectanda de Dei bonitate & providentiâ, qui non juberet aliquid arduum, cui sustinendo impar esses, & cui ferendo non conferret gratiam?

Respondebis puto, te non audere magna illa sperare auxilia quibus te nimis indignum judicas, sive ex conditionis tuæ exiguitate, sive ex peccatorum tuorum magnitudine: tibi satis esse si parva facias, de magnis verò nec posse nec velle cognitionem suscipere. Itane verò te dignum putes cui conferatur in parvis gratia, ut nihil quidquam denegetur quod in istis optes? Itane te justum putes, ut nihil

unquam gravius deliqueris propter quod non merearis obtinere quod roges in quibus placeat operam ponere! Itane Deo legem statuas, ut quidquid de magnis jubeat & promittat, tu quasi tuæ fortunæ faber & salutis author, magna relinquant aliis, tibi parva tantum assumes! Hoc est præsumere, hoc est nimis audere, hoc est non se nosse: nam si te verè peccatorem nosset, ut fingis te fateri, nec minimo gratiæ gradu te dignum crederes, sed potius extremis pœnis & æternis suppliciis. Tu tera & cinis audes præsumere te dignum divinis gratiis! Tu indurate peccator qui toties infernum meruisti, etiam nunc audes tantum tibi palpate, ut non judices te indignum gratiis quas toties conculcasti? nunquamne audivisti Apostolorum hæc intonantem: *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœlestis, & participes facti sunt Spiritus sancti, & prolapsi sunt, rursus renovari ad penitentiam.* Terra enim proferens spinas & tribulos reproba est & maledictio proxima, *cujus consummatio in combustionem.* Et rursum: *voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quadam expectatio iudicii.* Nonne tu verò sæpe prolapsus es? Nonne tu ille es voluntarius peccator post tot acceptas veritates? Et tamen non timebis! Hoc est nimis audere.

Hebr. 6.

Ibid. 10.

## III. PUNCTUM.

**Q**uisquis ergo non satis audeat in magnis, nimis audet in parvis.

Quia quod eum revocat ab audendo in magnis, revocare etiam in parvis deberet: & si quid confidentiam præstat in parvis, præstat ex æquo in magnis, quando videlicet Deus ad illa magna vocat, aut quando conjuncta sunt vocationi vel officio, tunc non minus speranda est in magnis gratia quam in parvis; nec timendum quin sit satis potens gratia, cum sit omnipotentis virtus, qui, ut ait sanctus Bernardus, *in hoc maxime Serm. 85. suam omnipotentiam manifestat quod omni in causis potentes facit omnes qui in se sperant.*

Et certè, sicut infirmitas humana magis cognoscitur, quando quis in parvis peccat quam

quam in magnis: ita virtus divina clarius in-  
norescit quando in magnis homo plus potest  
& operatur quam in parvis. Atque idcirco  
quia valde expedit nos id probe intelligere,  
sape Deus quos in magnis potentes facit, per-  
mittit in parvis infirmari; ut expressè obser-  
vavit sanctus Chrysostomus de sancto Petro,  
qui cum audeat vocante Christo ambulare  
super ipsum mare effervescens, timuit tamen  
ventum, & in aquas desiliit. Quod quidem  
ab Isaia magnificè prædicatum habes: Qui  
dat lassè virtutem, & his qui non sunt, fortitudi-  
nem & robur multiplicat. Deficient pueri &  
laborabunt, & juvenes in infirmitate cadent;  
qui autem sperant in Domino mutabunt fortitu-  
dinem, assumunt pennas sicut aquila, current &  
non laborabunt, ambulabunt & non deficient. Id  
est, dum alii qui videbantur fortes & robusti  
deficient, alii è contra qui erant debiles & in-

firmi, roborabuntur & nulla vi adversa con-  
cident.

Quamobrem, ut alius ait Propheta, *Infir-  
mus dicat: quia fortis ego sum.* Dicat confidens  
Deo: dicat in magnis æquè in parvis: dicat  
quoties de infirmitate sua cogitat: dicat ad  
se acciendum: dicat ad excitandam confiden-  
tiam: dicat ad inchoandum quodvis opus  
difficile: dicat ad continuandum: dicat ad  
consummandum.

vide suprâ in hac 2. parte, Feria 2. Sexage-  
simæ. In 3. verd, Feria 3. & 5. Hebdomadæ  
7. Ubi hæ Veritates declarantur.

Non certius in spem itur, quàm contra spem.  
Qua facilitate vincimur, eadem vincere pos-  
sumus.

Dinique pro Evangelio Feriæ, videnda est  
hebdomada decima tertiæ partis.

Is. 40.

## FERIA SEXTA.

### DE PRIMA ORATIONE PVBLICA Ecclesiæ. Et de Dono Pietatis.

Unanimitè elevaverunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine tu es qui fecisti cælum &  
terram, mare & omnia quæ in eis sunt, &c. Act. 4.

#### VERITAS PRACTICA.

Sicut Pietas valet ad omnia, sic omnia valent  
ad Pietatem.

RATIO est, quia idcirco pietas valet ad omnia,  
quod in usu rerum respiciat Deum, & hoc re-  
spectu valorem & utilitatem spiritalem rebus  
impertiat.

Seo omnia valent ad hunc divinum respectum ex  
seipsis eliciendum.

Ergo & valent etiam ad pietatem, sicut pietas  
valet ad omnia quæ certè praxis est utilissi-  
ma.

#### I. PUNCTUM.

CUM primùm ex Apostolis duo, Petrus  
& Joannes dimissi sunt è carcere, in  
quem post sanatum claudum, & con-  
Haynevsve Pars 2,

versos iude Judæos plurimos, conjecti fue-  
rant, atque prohibiti, ne ultra loquerentur de  
Domino Jesu; tunc ut ait Sacer Historicus,  
venerunt ad suos, scilicet Coapostolos, & an-  
nuntiaverunt eis, quanta ad eos principes sacer-  
dotum & seniores dixissent. Qui cum audissent,  
unanimitè elevaverunt vocem ad Deum & di-  
xerunt, Domine tu es qui fecisti cælum & ter-  
ram, mare & omnia quæ in eis sunt: qui Spiri-  
tu sancto per os patris nostri David pueri tui, di-  
xisti. Quare fermuerunt gentes & populi medi-  
tati sunt inania? Astiterunt reges terra & prin-  
cipes convenerunt in unum, adversus Domi-  
num & adversus Christum ejus; Convenerunt  
enim verè in civitate ista adversus sanctum Pue-  
rum tuum Iesum quem unxisti, Herodes & Pon-  
tius Pilatus cum gentibus & populis Israel facere  
quæ manus tua & consilium tuum decreverunt  
fieri. Et nunc Domine, respice in minas eorum,  
& da servis tuis cum omni fiducia loqui ver-  
bum

D d d

bum

bum tuum, in eo quod manum tuam extendas ad sanitates, & signa, & prodigia fieri per nomen sancti Filii tui Iesu.

2. 2. q. 12. In qua quidem oratione apparet vel maxime pietatis donum, quo filiali quodam affectu, ut ait sanctus Thomas, *movemur in Deum rāquam Patrem*. Eum laudamus in omnibus & benedicimus, etiam cum nobis aliquid ad-versi contigerit, certissimum illud habentes, nihil paternam ejus providentiam fugere & nihil nisi bonum à tam bono Patre posse nobis accidere. Qui pietatis affectus etiam ad proximos extenditur, quando, ut videre est in Apostolis & primis illis credentibus, coluntur omnes ut fratres, & fraternis se juvant omnes subsidiis. Sic enim expressè habes in consequenti textu hystoriae post supra dictam orationem. *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una: nec quiquam eorum que possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, neque quisquam egenus erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferbant pretia eorum, que vendebant & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat: & pietatem eo magis commendandam, quo jam est rarior & magis necessaria!*

Verum non modò in oratione ad Deum aut in his fraternæ charitatis officiis pietas exhibetur, sed quod ait Apostolus, ad omnia se extendit, *ad omnia utilis est*, ad omnia valet; & ad ejus amplificandam utilitatem omnia etiam de suo conferunt, ut habet proposita veritas. Quod certè est consideratione dignissimum.

Ac primò quidem expende quod dicitur, idcirco pietatem valere ad omnia, quod dum in usu rerum, respicit Deum; hic respectus Dei, talem rebus utilitatem confert, atque ipsarum usui tam spiritalem & pretiosum impertit valorem, ut quidquid agas, quidquid opere tractes quantum vis temporale & terrenum, si pietatem adhibeas, id est, si Deum in eo tractando respicias, si ejus statutum ordinem, si voluntatem & nutum attendas, tum spiritualis efficitur actio, & tanti sit opus meriti, quanta in opere fuerit pietas. Nonne hoc pretiosum & locuples in conspectu Dei?

1. Cor. 3. Hoc ipsum est quod dicebat Apostolus, *super idem fundamentum super-aedificari aurū, argentum, lapides pretiosos, ligna, scamm & sti-*

pulam. Nempe, quanta est differentia auri & ligni, argenti & fœni, lapidum pretiosorum & stipulæ: tanta potest esse diversitas meriti & valoris uniuscujusque rei, seu actionis nostræ prout in illa Deum & Dominum Jesum spectaveris. Si temporalem tantum utilitatem vel delectationem, vel gloriam, vel simile aliquid transitorium lucrum & commo-dum in agendo respicias, hoc est aedificare lignum & stipulam, hoc est *opus operari corruptibile* de quo Sapiens quod in fine desinet, & qui Eccles. 14. *illud operatur, ibi cum illo*. Hoc est *telas aranea* Is. 59. *texere*; hoc est *seminare multum & inferre parum*. Hoc est *serere super spinas*; quod Prophetæ multum deplorant, sed qui omne quodcunque faciunt in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi faciunt, gratias agentes Deo & Patri per ipsum. Et sive man-ducunt sive bibant, sive aliud quid faciant, omnia in gloriam Dei faciunt, sicut commendat Apostolus: hi sunt videlicet, qui aurum & argentum & lapides pretiosos inde reportant, unde alii paleas & fœnum referunt. Hi sunt *operarii sufficientes sibi, quorum vita condulcabitur, & in ipsa invenient thesaurum*, ut ait Sapiens: *Hi sunt qui operantur non cibum qui perit, sed qui permanent in vitam æternam*: quod confulebat Dominus. Tu quibusnam ex istis velles esse similior?

## II. PUNCTUM.

SED omnia etiam juvant & valent ad hunc divinum respectum ex seipsis elicendum.

Nam primò quidem creaturæ omnes cum aliquem naturalis gradum bonitatis continent, quæ est participatio quædam bonitatis divina; nos intuitu suo permovent ad Deum Creatorem suum respiciendum & laudandum; *Sic cæli enarrant ejus laudem, sic stellæ, sic terra, sic aër & omnia, quando nos ad eum laudandum excitant & pertrahunt*, sic una vox est creaturarum omnium, aut potius unus concentus ex multis vocibus, quo perpetuas laudes Deo celebrant & beneficentiam ejus deprædicant. *Tanta hac formarum varietas atque numerositas specierum in rebus conditis, quid nisi radii sunt divinitus?* ait Divus Bernardus. *Invisibilia enim ipsius à creatura mundis per ea que facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, in-* quit Apostolus. *in Cant. Rom. 1.*

Quod



Quod & verius est in creaturis sensibilibus  
 aut etiam ratione præditis, in quibus quo  
 plus bonitatis animadvertitur, plus Divinita-  
 tis sentitur; neque longius à nobis progredi-  
 endum est ut iucuri Deum possimus, cum à  
 nobis non longè absit; *In ipso enim vivimus,*  
*& movemur & sumus.* Quocumque igitur te  
 motu moveas, quemcumque vitæ actum ex-  
 erceas, quocumque in situ animi vel quavis  
 corporis positione consistas; si non vivis, si nō  
 moveris, si non existis nisi prius in Deo;  
 nōne in omnibus illum potes respicere? Non-  
 ne omnia de suo conferunt ad illum in seipsis  
 contuendum? *Providebam Dominum,* inquit  
*Psalm. 15. Psaltes, in conspectu meo semper, quoniam à*  
*dextris est mihi ne commovear, propter hoc lata-*  
*tum est cor meum & exultavit lingua mea: in-*  
*super & caro mea requiescit in spe. O quantum*  
*illi errant, qui se tristes futuros crederent, si*  
*sic Deum semper providerent! Nihil lætius,*  
*nihil non modo vitius & honestius, sed nil*  
*etiam iucundius.*

III. PUNCTUM.

*SICUT* igitur Pietas valet ad omnia, sic omnia  
 valent ad pietatem; cum omnia valent ad  
 excitandum illum divinum respectum; quo  
 fit, ut dignitas, valor, & tale meritum rebus  
 atque actionibus nostris impertiatur, ut bea-  
 tus ille vir, qui sic in omnibus Deum respicit, sit  
 velut lignum quod plantatum est secus decursus  
 aquarum, quod fructum suum dabit in tempore  
 suo. Et folium ejus non defluet: & omnia qua-  
 cumque faciet, prosperabuntur.

Maximè verò propterea comparatur pal-  
 mæ, quæ arbor est adeo fructuosa, ut supra  
 trecentas, utilitatum diversæ species nume-  
 rentur, quas cultoribus suis afferat. *Statura*  
*tua assimilata est palma,* inquit Sponsus, quasi

dicat, ipse situs & minima quævis actio sic u-  
 nitæ Deo animæ mirum quantum proffit ad  
 meritum. Sic dicuntur *sicut palma multipli-*  
*cari dies eorum,* nam licet numero non auge-  
 antur, merito tamen crescunt & sic multipli-  
 cantur, quo sensu dicitur à Sapiente, *senectus*  
*Venerabilis non diuturna, neque annorum nu-*  
*mero computata: cani autem sunt sensus homi-*  
*nis, & ætas senectutis vita immaculata, & con-*  
*summatæ in brevi explevit tempora multa.*

*DIXI, ascendam in palmam & apprehendam* Cant. 7.  
*fructum ejus.* Dicit qui leviò statuit praxim  
 prosperitã; ascendit, qui seipsum supra quod  
 videt in creaturis erigit: apprehendit autem  
 fructum, qui sic erecta in Deum mente, illi  
 uni in omnibus placere studet: quasi hoc  
 unum haberet studium, hoc unum tractaret  
 negotium: in quo tractando & conficiendo  
 se beatiorum existimat, quam si toti mundo  
 vel cognoscendo vel possidendo vacaret. Sic  
 præclare sanctus Augustinus: *Sicut melior est*  
*qui novit possidere arborem, & de usu ejus tibi*  
*gratias agi, quamvis ne sciat vel quot cubitis al-*  
*ta sit, vel quanta latitudine diffusa, quàm ille*  
*qui eam metitur, & omnes ramos ejus numerat,*  
*& neque possidet eam, neque Creatorem ejus no-*  
*vit aut didicit: sic fidelis homo cui totus mundus*  
*divitiarum est, & quasi nihil habens omnia pos-*  
*sidet, inharendo tibi, cui servant omnia, quam-*  
*vis nec septentrionũ gyros novit, dubitare stul-*  
*tum est, quin utique melior sit quàm mensor cæli*  
*& numerator hyderum, & pensor elementorum,*  
*& negligens tui, qui omnia in mensura, & nu-*  
*mero, & pondere disposuisti.*

**EXERCE** teipsum ad hanc pietatem: Et vi-  
 de in 4. parte, hebdomada 26. quæ tota est de  
 Pietate seu Devotione.

Ad Evangelium verò Perizæ, videri debet  
 in 1. parte, hebdomada 4. post Epiphaniam  
 de Paralytico per regulas submissio.

S A B B A T O,  
 DE PRIMA QUÆ REFERTVR IN EC-  
 clesia, perpetrata culpa, sequentique pœ-  
 na. Et de Dono Timoris.

Dixit Petrus Annania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, & fraudare  
 de pretio agris & Act. 5.

## VERITAS PRACTICA.

Amori potius ab amore timendum est, quam à timore.

**SENSVS EST**, quod amoris divini, quo nempe debemus Deum diligere, maius instet damnum & periculum à falso & supposito quodam amore, vel ab ipso etiam divino amore seu potius divini amoris abusu, quam ab ipso timore, quem multi putant amori repugnare.

**RATIO est**, quia majus est damnum, magisque timendum divino amori, si nullus omnino sit amor, qui putatur esse divinus, quam si non sit omnino perfectus amor.

Sed ab amore potius quam à timore de quo est quaestio, provenire potest, quod nullus omnino sit amor.

Ergo amori potius ab amore timendum est, quam à timore. Quod sanè est diligenter perpendendum.

## I. PUNCTUM.

**V**IR autem quidam nomine Ananias cum Sapphira uxore sua, vendidit agrum & fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua: & afferens partem quandam, ad pedes Apostolorum posuit. Dixit autem Petrus, Ananias, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venditum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem: non es mentitus hominibus sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & expiravit. Et factus est timor magnus super omnes qui audierunt.

Sic Sacer Historicus in Actis Apostolorum, qui & similia narrare pergens de Sapphira uxore, addit iterum: Et factus est timor magnus in universa Ecclesia, & in omnes qui audierunt hæc. Et profectò erat, quod expavesceret omnes ad talem poenam seu potius ad talem culpam? poena quidem gravissima, sic expirare repentina morte, sic puniri propter mendaciùm aut tessacitatem aliquid cupiditatis; sed culpa longè gravior sic adhærere cupiditati, sic dissimulare, sic mentiri, sic velle decipere. Itaque tametsi primò, qui viderunt & qui audierunt impositam poenam, timuerint timore poenæ, cum tamè postea perpenderunt gravitatem culpæ, majestatem, præsentiam, & justitiam Dei offensæ, credibile est eos magis

timuisse timore culpæ, seu timore qui dicitur reverentialis & filialis, & qui propriè donum est Spiritus sancti, quo, ut ait sanctus Thomas, Deum reveremur & refugimus, nos ipsi Deo subducere. Non est dubium, quin iste timor qui est ipse amor, sit perfectior alio quovis timore bono. Sed non propterea tamen quivis alius bonus timor est negligendus quasi repugnet divino amori, quo Deum super omnia debemus diligere. Quin potius si quid sit timendum divino amori, ab ipso potius amore timendum est quam à timore.

Quæ proposita veritas sic expendi debet, nõ ut aliquid de dignitate & merito divini amoris detrahatur, sed potius ut magis ille divinus amor conservetur cõservato timore, sine quo vix amor ullus esse potest. Atque hinc ratio sumitur, cur sit amori potius ab amore timendum quam à timore: quia scilicet majus imminet damnũ amori Divino, si nullus sit omnino amor, quam si non sit forte perfectus. Quid hac prima propositione clarius? nihil enim timeretur nisi damnum seu malum: quò verò majus est malum aut damnum, eò certè magis timendum est & cavendum. Quod verò damnum majus amori divino inferri possit, quam si fictitius & suppositivus pro vero sumeretur, aut si verus esset, destrueretur, atq; à seipso deficeret, sique tandem nullus verè esset amor Dei, sed tantum præsumptus, prætentus, adumbratus & simulatus.

Nonne fatius esset aliqua saltem ex parte Deum diligere quam non omnino diligere? Certè à sancto Petro plus diligi visus est Dominus, quam à cæteris Apostolis, cum ab ipso quaeritus est, an se plus his diligeret: *Simon Ioan. 21. annis diligis me plus his?* At quis neget melius tamen esse saltem diligere Dominũ sicut cæteri diligebant Apostoli, quam non omnino diligere, sicut Judæi quibus dicebat Dominus, *Cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis? & verbum & verbum penetrabilius omni gladio ancipiti Expende singula. Cognovi vos, & quod in vobis non habetis dilectionem, quasi diceret. Ego novi quod non nostis, ego video quid sit intus in corde, & an revera sit amor, ut vos fingitis, an in specie tantum, apparenter & simulatè. Quia ego sum Apoc. 2. scrutans renes & corda, & dabo unicuique vestrum secundum opera sua.* Ille est, prout quilibet opere & veritate diligit, non verbo & fictitiè.

## II. PUN-

## II. PUNCTUM.

**S**ed ab amore potius provenire potest, quod nullus sit amor Dei, quam à bono timore:

Tribus id modis provenire potest; primo, cum quis aliquem sentit pietatis affectum erga Deum, aut res divinas, neque tamè edomitas habet animi appetitiones, aut his edomandis non vacat, unde nonnullis cupiditatibus & peccatis implicatur, tum is forte quem sentit pietatis affectum, putabit esse divinum amorem, & errabit, illudetur, decipietur; Nam, ut ait S. Gregorius, qui adhuc per illicita desideria distruit, profectò Deum non amat, quia et in sua voluntate contradicit. Hoc autem sæpe accidit & iis potissimum, qui, ut sibi videntur aspirantes ad perfectiora, primo suæ ad Deum conversionis à peccato & fervore, alienum à se putant timorem illum qui dicitur initialis, & quo in via, quæ vocatur purgativa, solemus expurgari à vitis & concupiscentiis; unde fit ut quod diximus, dum se putant altius provehere, deprimuntur inferius & gravius ab ipsis suis cupiditatibus demerguntur, quas salubri & sancto timore nesciunt vel nolunt coercere. Hinc apertè sanctus Gregorius: *Prava mens si non prius per timorem convertitur, ab assuetis vitiis non emundatur.* Atque hunc oprabat timorem, qui sic orabat: *Conspice timore tuo carnes meas: à iudicis enim tuis, timui.* Sic & ille in lege gratiæ qui aiebat, *Castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne cum aliis predicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Secundò, etsi concederemus aliquos vel nõ ita suis urgeri cupiditatibus, ut gravius peccent: vel in illis reprimendis non nihil studii ponere: si tamen propterea sic certi essent se divinũ habere amorem, ut omnẽ inde timorẽ excluderent, excluderent simul amorem si quem haberent: & hoc ipso quo se ita certos faciunt de tuo in Deum amore, ut non dubitent nec timeant hoc ipso, inquam, deficit & nullus est eorum amor: quia nullus est verus Dei amor, ubi vera est præsumptio spiritus quam Deus execratur: ubi autem est præsumptio spiritus, ubi talis est certitudo amoris, nullus ut sit timor nullumve dubium quin sit amor. Nã cum apertè scriptura dicat de probis etiam & sanctis viris: *sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei.* Et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in

futurum servantur incerta: quis se ita certum dicat ut non timeat, aut non simul evidenter præsumat? Quid est enim præsumere si sancto credimus Augustino, quàm quid asserere prius, quàm verius pateat? Quod ita nefas est, ut inde sanctus Doctor concludat de nulla re præsumendum, *Quando, inquit, nec de iustitia, sit præsumendum, id est, de statu animæ nostræ; unde in præsumentem manifestè Apostolus; Noli altum sapere, sed time.*

Tertio denique, quod magis mirũ est, ipse divinus amor seipsum quodammodo destruit aut potius à non timente destruitur, quando plus affectat quàm potest & quàm debet. Licet enim non possit talis esse excessus in charitate, ut homo Deum diligat plusquàm debet: cum è contra nunquam satis prout debet diligit: potest tamen, inquit sanctus Thomas, ex parte nostra reperiri quidam excessus, quando quis ferretur in Deum supra mensuram suæ conditionis. Quod egregiè docet sanctus Gregorius, ut est jam a libi observatum: *Cum miro, inquit, consilio auctor ac dispositor noster huic illa largitur quæ alii denegat: alii hac denegat quæ isti largitur: mensuras sibi postas egredi nititur, qui quis posse plusquam accepit conatur, ut fortasse is, cui tantummodo datum est præceptivũ occulta disserere, tenet etiam miraculis coruscare.* Et post pauca: *In præcipitio enim pedem porrigit, qui mensurarum suarum limitem non attendit: & plerumque amittit & quod poterat, quæ audacter ea, ad quæ pertingere non valet, arripere festinat.* Ac nonnullis interjectis, Bene itaque David Prophetæ intra acceptas ex divina largitate mensuras pedem cordis præserat, cum dicebat: *Negue ambulari in magnis, neque in mirabilibus super me. Super se quippe in mirabilibus ambularet, si apparere magnus ultra quàm poterat quæreret. Super se namque in mirabilibus attollitur, qui & in his ad quæ non sufficit, videri idoneus conatur.* Bene inter has mensuras etiam in ipsa Paulus prædicationis suæ se latitudine coratabat, cum diceret: *non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus.*

Quod & Divus Bernardus fusè prosequitur in illud Cantorum, *ordinavit in me charitatem;* postquam videlicet introducitur sponsa in cellam vinariam, periculum erat ne ferventiori devotionis astu vel zelo raparetur, idcirco statim ait ordinatam in se charitatem, ut se contineret. Nonne & illud legisti vel jam audivisti, quod ait Dominus apud

Hb. 30. in Evang.

Hom. 34. in Evang.

Ps. 118.

1. Cor. 9.

Ecc. 9.

L. 1. de Trin. c. 1. In Ps. 58.

Rom. 11.

1. 2. q. 64. a. 4.

28. Mor. 8.

Ps. 130.

1. Cor. 15.

Cant. 2.

Serm. 42.

L. 3. de  
Imit. Ch.  
c. 7.

Kempensem; *Quidam incauti propter devotio-  
nis gratiam, seipos destruxerunt, quia plus agere  
voluerunt quam potuerunt, non pensantes sua  
parvitas mensuram, sed magis cordis affectum  
sequentes quam rationis iudicium. Et quia ma-  
iora presumpserunt quam Deo placitum fuit, id-  
circo gratiam perdidit: facti sunt inopes &  
viles relictii, qui in caelum posuerunt nidum sibi,  
ut humilitati & depauperati discant non alis  
suis volare sed sub pennis meis sperare.*

Non sic temere non sic volassent inconsul-  
to, si timorem Domini retinere voluissent,  
nec suo tantum amori credere quasi amor  
non esset divinus si esset timoratus.

### III. PUNCTUM.

Rom. 1.  
Ier. 2.

**A**Mori ergo potius timendum est ab amore  
quam à timore: quia videlicet plus amori  
timendum est, ne nullus omnino sit, quam ne  
sit inchoatus, imperfectus, aut aliqua tantum  
ex parte mancus. At verò ab amore provenit,  
quod nullus plerumque sit amor qui putatur  
esse, imò & quo major & purior esse fingitur,  
eo minus revera est, quia totum absorpsit præ-  
sumptio, vanitas & elatio, evanuerunt in cogi-  
tationibus suis. *QVID niteris bonam ostendere  
viam tuam ad quarendam dilectionem? Excel-  
lentior est quidem via, charitas, ad salutem,  
ad perfectionem, ad omnia: de hoc dubitati  
non potest: sed excellentior etiam ad charita-  
tem via quaeritur, & dum quisque niteretur bo-  
nam ostendere viam suam ad illam charita-  
tem, verendum est ne quod quaerit perdat, si  
suam ita deprædicat viam, ut vituperet &  
condemnet alienam.*

Zacch. 13.

*Hæ sunt plaga in medio manuum Christi, quibus  
se plagatum dolet in domo eorum qui dilige-  
bant ipsum, id est, qui profitentur ipsum dilige-  
re, & tamè dum de dilectione plus aut minus  
sapiunt quam oporteret, dilectionem scin-  
dunt & mysticum Christi corpus plagent.*

1. Ioan. 4.

At nonne perfecta charitas foras mittit timo-  
rem? mittit sanctè, sed non omnem, non castum,  
non reverentialem, non filialem qui est  
ipse amor divinus. *Si pater ego sum, ubi est honor  
meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?*  
Pellit itaque servilem & iniriale illum qui  
est pœnæ & fervorem, cuius loco sic perfecta

Mal. 1.

succedit charitas, ut nisi sit perfecta non suc-  
cedat, neque omnino timorem pellat: sed qua  
proportione crescit charitas, decrevit ille timor;  
dumque interim timor manet, donec  
perfecta sit charitas, tum quidem aliqua ex  
parte sit manca & imperfecta necesse est,  
quandoquidem nõ est perfecta: sed nondum  
esse perfectam charitatem in eo qui incipit,  
vel qui quotidie proficit, non est certè tantum  
charitati seu amori divino damnatum, quantum  
est illud quod ex amore provenit, si omnis  
desit timor. Non quod perfecta charitas non  
sit melior quam non perfecta, sed quod sit  
melius non præsumere se charitatem perfectam  
habere, sicque ei perficiendæ semper vacare  
cum metu & tremore Domini, ac deniq; timen-  
do simul & diligendo semper proficere.

Sic forte propterea dictum est à Sapiente; *Non est in timore Domini minoratio: id est, nihil  
tibi deperibit à timore bene formato: nam  
quod ex una parte charitas videtur perdere,  
dum se altius non extollit, recuperat ex alia,  
dum se in humilitate & sancto timore conti-  
ner. Quamobrem si sapias sic cum sancto Ber-  
nardo semper senties: In veritate dulci nihil e-  
que efficax esse ad gratiam promovendam, reti-  
nendam & recuperandam quam si omni tempo-  
re coram Deo inveniaris non alium sapere sed ti-  
mere. Beatus homo qui semper est pavidus. Time  
ergo cum arripserit gratia time cum abierit, time  
cum denuò revertetur. Et alibi: sicut securitas  
vel desidia causa est & mater omnium delictorum,  
sic timor Domini radix est & custos omnium  
bonorum: unde scriptum est si non in timore Do-  
mini tenueris te instanter, cito subvertetur do-  
mus tua. Omne namque virtutum ædificium il-  
lico vergit in precipitium, si huius gratia amiserit  
presidium. Descendit pluvia, & venerunt flumi-  
na, & flaverunt venti, & irruerunt in do-  
mum illam: & cecidit, & fuit ruina illius  
magna.*

Vide in 1. parte, Feria 3. hebdomadæ 4. post  
Epiphaniam. In 2. parte, Feria 6. Septuagesimæ:  
Feria 2. & 4. Sexagesimæ: Feria 5. primæ  
hebdom. Quadragesimæ, & alibi passim de  
sancto timore Domini.

Ad Evangelium verò Feriæ, de Socru Petri  
sanata, in 1. parte, Feria 5. hebdomadæ 2. post  
Epiphaniam.

FINIS SECUNDÆ PARTIS IN VITAM DOMINI IESV.

VERITATES

# VERITATES PRACTICÆ

## AD DIES FESTOS SANCTORVM

QVI INCIDVNT IN HANC  
SECUNDAM PARTEM.

### DE SANCTO MATTHIA APOSTOLO,

*Es dederunt sortes, & cecidit fors super Matthiam, & annumeratus est cum undecim Aposto-  
lis. Act. 1.*

#### VERITAS PRACTICA.

Sicut in manu Domini fors nostra est, sic in  
sorte nostra, manus est Domini.

**ID EST**, divina directio, quam sequamur tanta  
fidelitate in ministerio nostro exercendo,  
quantam habere oportuit in eo expectando, &  
suscipiendo de manu Domini.

**RATIO** est, quia idcirco magna opus est fidelita-  
te ad ministerium nostrum suscipiendum de  
manu Domini, ne deeremus à viis eius, qua-  
sunt via salutis & perfectionis nostræ.

Sed nisi eadem fidelitate sequamur divinam di-  
rectionem in exercendo ministerio nostro, deer-  
rabimus à viis Domini & à viis salutis no-  
stræ.

Ergo tanta fidelitate sequenda est divina illa di-  
rectio in ministerio nostro ritè obeundo, quan-  
tam habere oportuit in eo expectando & susci-  
piendo de manu Domini.

#### I. PUNCTUM.

**Q**UÆ suprà dicta sunt fusius in hac  
parte de electione sancti Matthiæ  
sic possunt breviter in tria con-  
trahi, quæ triplicem temporis  
differentiam complectuntur. Pri-  
mum ante electionem, quando nominatus  
fuit cum Iosepho qui eligeretur in locum  
proditoris Iudæ; nullus è tota turba fuit qui  
contradiceret, licet multa possent objici, quæ  
resardarent talem nominationem usque ad

adventum Spiritus sancti. Secundum, in ipsa  
electione, licet Iosephus qui erat alter Candi-  
datus, tantæ esset probitatis, ut vulgo *Iustus*  
cognominaretur, tamen datis sortibus, id est,  
conjectis nominum chartulis in urnam, ut fieri  
soler, Matthias præelectus est à Domino, &  
annumeratus cum undecim Apostolis. Tertium  
denique post electionem, Apostolatus digni-  
tatem cumulavit insignibus meritis, de qui-  
bus sic sanctus Antoninus; *Fuit in lege Domini* 1.p. Tit. 64  
*Doctissimus, corpore mundus, animo prudens, in* c.2.  
*consilio providus, in sermone expeditus,*  
*multorum signorum Parrator, ac tandem Mar-*  
*tyr extensus in caelum manibus spiritum Deo red-*  
*didit.*

Congraude sancto Apostolo, venerare san-  
ctitatem, cole gloriam, imitare virtutem in  
exercendo ministerio tuo, tanta cum fide-  
litate, quantam adhibere oportet ad illud expe-  
ctandum & suscipiendum de manu Domini.  
Sicut enim in manu Domini fors nostra est, sic in  
sorte nostra, manus est Domini, qua nos videli-  
cet regat, & cui nos totos regendos in admi-  
nistratione nostri officii relinquamus, sicut  
non aliter quam ab eo ipsum officium seu  
ministerium fuit acceptandum.

Ratio planè est eadem & digna quæ sæpius  
expendatur, nempe ad eligendum vitæ statum,  
sive ad acceptandum quodlibet officium &  
ministerium, opus omnino est magnam ad-  
hibere fidelitatem in exquirenda Dei volun-  
tate & sequenda, ne si alium statum acceperim-  
us quam ille statuerit, deeremus à viis eius,  
& à viis perfectionis & salutis nostræ: *Quia Inisio ter-*  
*de re fusè in libris de ordine morum & vitæ, tie partis,*  
*nec*

*Infra O-*  
*rationem*  
*Ascensio-*  
*nis.*

nec non in prima parte hujus operis, tota hebdomada quanta post Epiphaniam, ubi de sancto Matthia: vocatione, atque in hac etiã parte, infra in considerationibus quæ sunt communes omnibus statutibus, quibus hoc unum addi modò sufficiat, quod habet Lessius in eo, quem scripsit, libro de statu vitæ eligendo; unde etiam patebit, quanti momenti sit statum seu officium ac ministerium suum, fideliter à Domino expectere, & non nisi eo volente suscipere, quantum quidem eius voluntas hæc in parte potest explorari & cognosci.

Quæst. 12.  
Num. 154

*Sunt enim, inquit, in mente divina mille auxiliorum ordines, & mille mediæ serie quibus cum quolibet nostrum uti potest, & certissime novit quid ex qualibet serie esse secuturum. Novit enim qua serie mediæ esse salutem consecuturus, cum qua in exitium & damnationem lapsurus. Novit quod officium, quis locus, qua habitatio, qui socii, quæ occasiones, quæ studia tibi forent ad salutem, quæ ad perniciem. Salus enim & interitus sapissime à re modica & levi occasione pendent. Maximum beneficium est, si salutarem mediæ serie obtineamus, maximum incommodum si ab ea excidamus. Ex illa mediæ serie pendet donum perseverantia sine quo nemo salvatur, cuius preparatio in mente divina, est nostra prædestinatio.*

Hæc sunt videlicet viæ Domini, à quibus detratur, quando vitæ status eligitur non consulto & volente Deo. Quomodo verò salus & exitium pendent à re modica quam nisi divina providentia procuraverit vel avertit, certissime peribis, sic paulo ante declarat expressius. *Adit quis convivium, audit ibi verbum minus sibi honorificum, oritur rixa, occiditur. Alii exit vesperi ebrius ut domum redeat, incidit in adversarium, contrahitur pugna, confoditur. Alii iter facienti occurrit birivium, eligit viam qua videtur commodior, incidit in latrones qui viatoribus ibidem insidiabantur, ab his spoliatur & interficitur. Similia quotidie plurima eveniunt: sicut ex minima scintilla sæpe maximus accenditur ignis, ita ex modica occasione sæpissime maxima perniciosa. Poterant ista occasiones innumeris modis à Deo, qui omnia prævidet impediri, vel minima inspiratione averti, nisi se homo reddidisset indignum, non inquirendo scilicet viam Domini seu vitæ degendæ statum & officium sicut par erat inquirere. Isti non cognoverunt vias meas, ut juravi in ira mea, si introbunt in requiem meam.*

Pf. 104.

## II. PUNCTUM.

**S**ED nisi eadem fidelitate sequamur divinam directionem in exercendo ministerio nostro, deerrabimus à viis Domini, & à viis salutis nostræ.

Cur enim decessisses à viis Domini, si statum aut ministerium tuum non accepisses à Domino, nisi quia Domini voluntas erat & gratia, ut in illo viveres statu? At nonne est eadē Domini voluntas, ut in illo, quem suscepisti, statu recte & perfecte vivas? nonne ob id vel maxime gratia datur? nonne idcirco directio Domini proponitur? nonne inde divina gloria, tua perfectio, & quidquid ad salutem spectat, in eo uno sistit, ut sicut monet Apostolus, videas ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas?

An putares satis esse ad tenendam viam Domini, si quis in eo quidem esset vitæ statu in quo cum vellet Dominus; nec ultra tamen de recta vivendi via cogitaret? Et quorsum tandem abirent tam crebræ voces Apostoli, ut videamus vocationem nostram, ut sicut vocavit Deus, ita & ambulemus, & unusquisque in quo vocatus est, in hoc permaneat apud Deum? Quid est videre vocationem, quid est secundum illam ambulare, aut in ea permanere apud Deum, nisi sic in ea vivere, ut secundum divinam ejus directionem & voluntatem vivamus? Quod ita verum est, ut fatius esset non cognovisse viam Domini in statu eligendo, quam non eam tenuisse in colendo statu prout à te coli volebat Deus. Unde idem Apostolus: *Quando quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo. Quasi diceret: non ita meum duco, quod sim Gentium Apostolus, cum ignorem quamdiu me talem esse voluerit Dominus, quam donec talis fuero, recte perfungar hoc munere, & tam fideliter illud obeam, ut sicut mihi est honorificum munus, ita & ego munus honorificem.*

Coloss. 4.

1. Cor. 7.

Rom. 11.

## III. PUNCTUM.

**S**ICUT igitur in manu Domini fors nostra est & ministerium, ut ab illa fideliter quodcumque Dominus voluerit, acceptemus: sic in sorte nostra & ministerio, manus est Domini & directio quæ sequamur eadem prorsus fidelitate: quia eadem est ratio & suscipiendi muneris à manu Dei, & exercendi per manum eius, ne alioquin videlicet

delicet à viis Domini aberremus, & ne nobis objiciatur in nostris inde nascentibus malis: Nunquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore quo ducebat te per viam?

Hujus fidelitatis exemplum luculentissimum patet in Davide, qui cum fide divina certus esset se Sauli succellurum, quod quid ille contra moliretur: sic tamen se observabat & divinæ directioni collaborabat in omnibus, ut nihil eorum prorsus omitteret quæ quilibet committeret, quæ supremam providentiam anteverterent aut retardarent. *Pes meus stetit in directo*: quasi diceret, neutram in partem declinavi, sed recta, quo me ducebat Deus, per occurrentes quoslibet casus, eò semper dirigebat. Quod & ante pari fideitate Iob præstitit, qui, ut documento nobis esset similis observantiæ, sic de se loquebatur: *vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodivi, & non declinari ex ea.*

Admirabile verò est, atque ad hanc quam consideramus divinam directionem religio-

simè, observandum, singulare prorsus exemplar, quod refert sanctus Paulinus in Epistola ad Macharium de Valgio quodam sene Ca- *Epist. ad Macariu*. thecumevo postea Victore appellato, qui cum solus è naufragio in navi jactabundus, mare æstuosissimum oberraret, sic eum Christus Dominus salvum & incolumem in portum duxit, ut indicaret singula quæ ab ipso fieri secum vellet, faceretque bonus senex cū Christo quod Christus eum sene conficebat. Non poterat solus senex, nolebat solus Christus, simul ambo rem peragebant. Si essent explicanda vela, vela pro viribus movebat senex, tum statim explicabantur & antennis alligabantur: si lentina exhaurienda, parabat senex situlam, indeque educebat, quantum semel aut iterum posset, tum siccatam illico navim cernebat, sicque in aliis navigandi munis se strenuum exhibebat, ut manus Christi manifestè quidem cernebatur manum senis ad opus admove, sed & manus senis ad Christi manum erat adjungenda. *Dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.*

Vide suprâ citatos conformes locos.

## DE SANCTO IOSEPHO Die 19. Martii,

### SPONSO BEATÆ VIRGINIS.

Vide in prima parte, Sabbato primæ hebdomadæ Adventus Domini: quibus aptari potest & sequens Veritas.

## DE SANCTO IOACHIMO Die 20. Martii,

### PATRE B. VIRGINIS.

Laudemus viros gloriosos & parentes nostros in generatione sua: qui de illis nati sunt reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. *Eccles. 44.*

#### VERITAS PRACTICA.

Affinitas sanctitatis cum Beatissima, Virgine, magis æstimanda, quàm sanguinis.

*Sed illa triplex ratio boni, melius reperitur in affinitate sanctitatis quàm sanguinis. Ergo magis est æstimanda.*

#### I. PUNCTUM.

*RATIO est, quia non potest æstimari affinitas sanguinis cum Beatissima Virgine, nisi propter bonum quod est vel honestum vel utile vel delectabile.*

*Haynevsive Pars 2,*

**T**ANTA est dignitas Beatissimæ Virginis Matris, ut quicumque eam contingant sanguine, dignitatem & nobilitatem

*Ecc inde*

inde hauriant singularem; quamobrem cum inter omnes, Pater eius sanctus Ioaehimus attingat eam propius, nobiliorẽ etiam inde extrahit claritatem, & ampliori meretur à nobis honore coli. Verum cum nõ modò sanguinis sed & sanctitatis affinitate sanctissimam Filiam suam Pater optimus tangat, sitque hæc sanctitatis affinitas longè major quam sanguinis, erit ad gloriam sancti Ioaehimi nobilior, & ad profectum nostrum accommodatius, si in veritate proposita attentè consideranda tantum immoremur. Sic ergo est, *Affinitas sanctitatis cum Beatissima Virgine magis est æstimanda quàm sanguinis.*

Tota enim ratio æstimandæ cuiuslibet rei atque adeo affinitatis humanæ in id recidit, ut, quantum est in illa re boni, tantum æstimetur; bonum autem cum sit triplicis generis, vel honestũ, vel delectabile, vel utilè, hinc profectò sequitur, ut, quantum honesti, quantum utilitatis, & delectabilis boni reperitur in hac humana cognatione, tanta sit & ratio illius æstimandæ. Sic regia dignitas cum abundet istis bonis, omniũ opinione suprema est inter humanas & politicas, cæteræque hominum conditiones & status tanto habentur in pretio, quanta est illorum ad regiam propinquitas & accessio. Quamobrem vide hic quantum sit honos, quanta utilitas & quanta vitæ iucunditas Patri esse illius Virginis quæ Mater est Dei. Certe sicut nulla unquam nobilior Mater matre Dei, sic nullus Pater nobilior patre Matris Dei. Quod si veteres illi Patriarchæ Abrahamus, Isaacus & cæteri tanto apud posteros in honore sunt habiti, quod ad Christi Domini stirpem spectarent, quantum major est sancti Ioaehimi honos, qui Dominum Iesum eo propior contingit sanguine quo posterior est tempore.

Quanta porro utilitas in beatissimum virum emanarit, cogitare licet ex precibus & meritis sanctissimæ filia quæ haud dubiè nõ ingrata erat, & gratitudinis debitum suo apud Deum merito persolvebat. Restaret de vitæ iucunditate dicere, nisi satis notum esset cogitanti, nihil esse posse parenti iucundius quàm amabilem prolem, & cum maximè proles diu fuit expectata, cum antè longis expetita votis, & iis corporis atque animi dotibus exornata, quibus inter omnes creaturas eminebat Virgo pulcherrima simul & sanctissima.

Sic ergo nobis vel hoc etiam nomine plũ-

rimum commendandus sanctus Ioaehimus, quòd illam omnium proximè, sanguinis affinitate contingat, quæ quantum in te boni continet & honesti simul & utilis & iucundi, quod certe est utrobique præcipuum & singulare, tantum à nobis meretur coli.

## II. PUNCTUM.

**S**ED illa triplex ratio boni, melius reperitur in affinitate sanctitatis quàm sanguinis.

Dicitur affinitas sanctitatis inter eos, qui nõ modò sunt in gratia sanctificante, sed virtutum omnium actibus & præcipuè charitatis, conantur in dies sanctiores fieri & perfectiores, sicut sanctissima Virgo quotidie imò & per horas & momenta crescebat gratia, meritis, & omni sanctitatis modo. Habent cum illa igitur affinitatem quotquot sancti sunt, id est, in gratia & charitate constituti, & eo quidem majorem, quo sanctitate propius ad eam accedunt. Verum, tanta esse dicitur illa affinitas, ut minimus eius gradus superet omnem sanguinis affinitatem, quia videlicet plus continet boni honesti, utilis, & delectabilis.

Ac de honesto patet, cum tota ratio boni honesti sit in ea conformitate, quam res habet ad rationem humanam & divinam: nihil autem sit conformius rationi vel humanæ vel divinæ, quam hominem in eo esse statum, quo Deum Creatorem suum præcipuè colat, & singulariter ab eo diligatur, sicque rectius ad finem cui conditus est, æternamque beatitudinem perveniat: quod non alio verius præstatum modo, quàm per gratiam illam sanctificantem, quæ adjunctam habet charitatem & alios virtutum actus, qui quo sunt numero plures & merito præstantiores, eo & illa boni honesti ratio censetur amplior.

Bonum hic verò utile supra quam etiam in humana cognatione longè uberius reperitur, cum bonum illud sit animi non corporis, sit æternum non temporale, sit divinum nõ humanum; imò utrumque simul & animi & corporis, temporale & æternum, humanum & divinum. Nam quanta quæta est divinæ merces amicitia, divinæ fecunditas unionis, & divinæ visionis amplitudo, tanta est huius sanctæ per omne tempus & in omnem æternitatem affinitatis utilitas.

Delectabile porro esse quis dubitet supra omnem humanæ vitæ iucunditatem, cum sit ipsa



ipsa possidenda beatitudo, cuius semen est gratia, & cuius fructus est vita aeterna, & gaudium ipsius Dei, quod nemo tollat à nobis.

Quod quidem triplex boni genus in hac sanctitatis affinitate contentum peropportune simul conjunxit Sapiens sub nomine Sapientiae de qua dixit: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honor per manus illius, & latatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia, & ignorantia quoniam horum omnium mater est. Quam sine fictione didici, & sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo. In finitum enim thesaurus est hominibus, quo qui est, sunt, participes facti sunt amicitia Dei, propter disciplina dona commendati. Itane aestimas illum statum?*

### III. PUNCTUM.

**A**ffinitas ergo sanctitatis cum Beatissima Virgine magis est aestimanda quam sanguinis; cum quidquid aestimandam facit affinitatem sanguinis magis reperitur in alia, videlicet triplex boni ratio, quae est honesti, utilis & delectabilis.

*Sap. 7.*  
*ad pop.* Sic aperte S. Ioannes Chryostomus de Timotheo, quem suum saepe Apostolus filium vocat: *Nō fuisse, inquit, tam beatus Timotheus, si Pauli filius à natura fuisset, quam nunc est admirabilis, quoniam secundum carnem nihil ad ipsum attinens, per cognationem, quae est secundum religionem, in ipso se adoptionem induxit, cum sedulitate disciplina illius characteres in omnibus servans.*

Neque hinc deperit aliquid gloriae sancto Ioachimo Patri sanctissimae Virginis, imò multum accreuit, cum non modò eam attingat sanguine sed & sanctitate. Et patebat quidem eius sanctitas antequam filia nasceretur, cum totus esset in precibus, & partiendis in pauperes bonis suis, qua pietate tantum promeruit apud Deum, ut illam sibi, nobisque omnibus progenerat filiam. O quale viri pro meritum! ò quanta totius humani generis erga talem virum debet esse gratitudo, cui talem debet filiam, quam suam agnoscit matrem! At verò cum hæc ei divinitus nata est cumque suo vitæ exemplo, suis precibus & meritis, sanctitatem patris hand dubiè, tam potenter promoverit quam erat potens & gratiosa: quis mente complecti possit quò ille perfectionis ascenderit?

In obitu tandem postremoque die perfungendo, quæ illi nō subsidia deculit obsequentissima filia? quibus eum expirantem orationibus non est comitata, ut eò beatitudinis excellentiorem in cælo gradum obtineret, quò depressiorem in terris eum viderat & sanctior? Nisi enim dum viveret, Sanctitatem coluisset, nihil illi fateor ad beatitudinem, ne quidè continuatè per totam vitam filiae preces, potuissent; sed cum, ut dictum est, non minus sanctitate quam sanguine filiam attigerit, duplici hac affinitate ita colendus est, ut dicamus tamen maiorem hanc esse magisque aestimandam sanctitatis affinitatem quam sanguinis. Quod ita verum est, ut si quis affinitate tantum sanguinis contingeret Beatissimam Virginem, & non sanctitatis, inferior esset: & disunctior ab illa Virgine, quam qui tantum ad illam accederet propinquitate sanctitatis & non sanguinis.

Quod minime mirum videri debet, cum illud ipsum de eadè Sanctissima Virgine circa Filium dici possit, ut jam supra notavimus; nempe si hoc tantum haberet quod eius Mater esset, & non sancta Mater, minus ad illum accederet quàm qui Sanctus esset; *Quia est Mater mea, aut qui sunt fratres mei*, dicebat ille, cum de Matre sua interpellaretur. Et extendens manum in discipulos suos, dixit: *ecce mater mea & fratres mei: quicumque enim fecerit voluntatem patris mei qui in caelis est, ipse meus frater, & soror, & mater est*; quasi diceret, si mea carnalis mater non faceret voluntatem Patris mei, non ita mihi diceretur mater aut propinqua, sicut qui faceret Patris voluntatem.

Sic sanctus Hieronymus, non negat Matrem, inquit, sed docet carni spiritum preferendū. Ubi & Divus Chryostomus: *Vna nobilitas est, Dei facere voluntatem.* Itemque Beda: *Christus docet religiosorem cordium copulam quàm corporum.* Et cum alias prædicaretur beatus venter qui talem portasset filium, & ubera quæ suxisset; *Quin imò, inquit, beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Quod explicans Chryostomus: *Non est responsum, inquit, repudiantis matrem, sed ostendentis quod nihil ei parit profuisset, nisi fidelis fuisset.* Sic rursum Beda: *Dei genitrix, inde quidem beata, quod Verbi incarnandi ministra temporalis: sed inde multo beatior, quia eiusdem semper amandi custos aeterna.*

Sed omnium excellentissimè S. Augustinus post

Ecc 2

post

Tr. 10. in  
Ioan. 10.

postrelata Christi Verba: Ergo, inquit, & Maria, quia fecit voluntatem Patris. Hoc in ea magis a vit Dominus, quia fecit voluntatem patris, non quia caro genuit carnem. Intendat Charitas vestra: Propterea cum Dominus in turba admirabilis videretur faciens signa & prodigia, & ostendens quia latere in carne, admirata quadam anima dixerunt, felix venter qui te portavit. Et ille, imo felices qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Hoc est dicere: & mater mea, quam appellastis felicem, inde felix, quia verbum Dei custodivit: non quia in illa verbum caro factum est, sed quia custodit illud ipsum verbum Dei per quod factus est, & quod in illa caro factum est. Homines non gaudeant prole temporali, exultent si spiritu junguntur Deo. Et alibi: Beatorum fuit Maria percipiendo fidem Christi quam concipiendo carnem Christi. Materna propinquitas nihil Maria profuisset, nisi feliciter Christum corde quam

I. de san-  
ta Virg.  
c. 2.

carne gestasset. Sanctus denique Iustinus in quaestionibus, non matrem debito honore fraudit Dominus, sed docet qua, ex maternitate virgo sit beatissima.

Quae cum omnia propositam valde confirmant veritatem, videlicet anime quantum tibi ex sanctitate boni accedat, qui dum sis sanctus, propior eris beatae Virgini quam propinquus ejus, cui deesset sanctitas: imo propior eris ipsi Christo Iesu, quam ejus esset mater, si sancta non esset. O Sanctitatem supra res omnes creatas exoptandam, cum supra Patrem Virginis matris, aut ipsam Dei supra matrem, qua dignitate nihil sublimius, ipsa tamen sanctitas praestet & emineat.

Vide in hac 2. parte, Feria 6. post Cinceres, ubi de Sanctitate. Et in 3. parte. Die 26. Iulii de sancta Anna.

## DE SANCTO BENEDICTO Die 27. Martii.

Inter Benedictos benedicetur. Ecclesi. 24.

VERITAS PRACTICA.

Inter benedictos benedicetur, non cui melius omnia: sed qui ex omnibus melior.

**SENSVS & RATIO** est, quod ex multis, qui putantur in hac vita benedicti, ille est verus benedictus dicendus, non cui feliciter succedunt omnia, aut qui pluribus abundat bonis, sed qui rebus aut successu rerum melius utitur.

Sed non est melior rerum aut bonorum usus quam si ipse, qui ea recipit, fiat ex eis melior & sanctior.

Ergo inter benedictos benedicetur non cui melius omnia, sed qui ex omnibus melior: sicut ipse sanctus Benedictus.

I. P U N C T U M.

2. l. Dial.  
c. 1.

**F**VIT Vir vite venerabilis, inquit sanctus Gregorius, GRATIA BENEDICTUS ET NOMINE: ab ipso sua pueritia tempore cogerens senile: aetatem quippe moribus transiens, nulli voluptati animi dedit, sed dum in hac terra adhuc esset, quo temporaliter libere uti potuisset, despectit jam quasi aridum mundum cum flor: qui liberiori genere ex provincia Nursia exortus,

Roma liberalibus literarum studiis traditus fuerat: sed cum in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum, quem quasi in ingressu mundi posuerat, retraxit pedem, ne si quid de scientia eius attingeret, ipse quoque in immane precipitium totus iret. Despectis itaque literarum studiis, relicta domo rebusque patris, soli Deo placere desiderans, sanctae conversationis habitum quaesivit, recessit igitur scienter, nesciens er nesciens, & sapienter indoctus. Tum de vita eius & miraculis sanctus ille Doctor toto Dialogorum secundum libro. Sed ex illis paucis, imò ex solo nomine cui res responderet, satis superque rerum est quae considerentur.

Quid est enim Gratia BENEDICTUM esse & nomine nisi tantis donorum caelestium abundate benedictionibus ut per Antonomastiam & excellentiam praeter ceteris BENEDICTUS sit dicendus? Et certe legi non possunt sine stupore animi, quae de sancto viro tam mira & stupenda referuntur; siue sanctitatem vitae respicias, siue miraculorum multitudinem, siue Ordinis, quem instituit, religiosam praestantiam; quae a nobis quidem susus in vernacula meditatione descripta sunt. Verum, quod mihi modò ex omnibus magis admirandum & ad praxim accommodatius venit, non est illa

illa gratiarum copia, non bonorum etiam spiritalium abundantia, nec felices instituti progrediuntur ordinis: sed rectus & probatus rerum omnium usus, quo non ad privatam ille gloriam & singularem nominis commendationem, aut simile aliquod singulare commodum; sed ad suam sanctitatem, ad communem totius Ecclesiae proventum & aeternam animarum salutem, quaecunque sibi caelitus donarentur & acciderent, deuvabat. Hoc est revera benedicti; hoc est esse *Benedictum Gratia & nomine*: hoc est quod de sapientia seu de sapientiori viro scribit Sapiens, *inter benedictos esse benedictum; NON cui melius omnia fiant & succedant, sed qui ex omnibus fiat melior.*

Ratio praesupponit, quod in comperto est, plures benedictionum reperiri species, quibus benedicti contingat in hac vita. Sunt enim primò benedictiones quae dicuntur mundi, seu quae à mundo & mundanis dantur, cum, ut ait Propheta, *justificatur impius & iniquus laudatur in iniquitate sua. Væ cum benedixerint vobis homines. MALEDICAM benedictionibus vestris.* Deinde sunt benedictiones terrenae & temporales de quibus frequens est mentio in Scripturis. Ac denique dicuntur à Domino benedicti qui plures vel singulares gratias ab eo recipiunt sive in suum sive in aliorum usum, *hic accipiet benedictionem à Domino, quasi diceret, non à mundo, non à terra, non ab hominibus, sed à Domino, cujus quidem benedictio longè est aliis praeferranda, ratione dantis & doni; sed tamen nisi rectè quis datis donis utatur, quid prodest illi benedictio? audi Psalmistam: Et dilexit maledictionem & venit ei: & noluit benedictionem & elongabitur ab eo. Et induit maledictionem sicut vestimentum, & intravit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius.* Putasne sit aliquis qui nolit benedictionem Domini & qui maledictionem diligit? nò aliter est putandus quam qui accepta benedictione abutitur & in maledictionem convertit, sicut Iudas traditor de quo est totus ille Psalmus.

Non est itaque satis ad veram benedictionem, sive ut quis vere benedictus dicatur, si benedictionem à Domino accipiat, si multa, vel singularia, si rebus abundet, si prosperis gaudeat eventibus: sed si accepta benedictione & omni rerum abundantia fuerit rectè usus, multi enim benedicti à Domino, sed inter benedictos ille unus benedicetur, qui cum

divina gratia sic bonis datis bene utitur, ut, quod est in Scriptura, *Dominus impleat in eo benedictionem suam.* Inchoata est in aliis benedictio, sed impletur in rectè utentibus.

II. PUNCTUM.

**I**AM verò, non est melior rerum aut bonorum usus, quam dum ipse, qui bona recipit, fiet ex eis melior & sanctior.

Nam primò, etsi quis non abuteretur bonis in vitium, sed tantum in temporale commodum, quis non videt non hunc esse finem propter quem sua Deus communicat qui *universa propter semetipsum operatur?* Deinde si dixeris id Deo fore gloriosum, dummodo Deum inde laudes & ames: at quænam eius laus dignior, quàm à digniori & meliori animo, què ipse Deus suis benefactis semper præterdit & provocat quantum in ipso est, ut ait sanctus Psaltes, *Etenim benedictionem dabit legislator. Ibunt de virtute in virtutem.* Et Apostolus: *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus: ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.* Videlicet finem quem habet Dominus qui benedicit? Potestne verò esse alius illo melior? Et quando esset alius finis, deberent eis qui recipit benedictionem, aliud in ea spectare, quam quod is spectat qui benedicit?

O quam acutè Sapiens: *Compedes in pedibus, stulto doctrina, & quasi vinculum manuum super manum dextram.* Id est, qui nescit rectè uti suis animi dotibus & quibuscunque donis acceptis, perinde est ac qui pedibus manibusque contractus, suorum ulrumque membrorum privaretur. Nescit autem illis animi donis rectè uti, qui non inde sapientior & melior efficitur.

Quod & paulò antè, idem Sapiens, sic per avari similitudinem luculenter expresserat: *viro cupido & tenaci sine ratione est substantia, & homini livido ad quid aurum? Qui sibi nequæ est, cui alii bonus erit? & non iucundabitur in bonis suis. Qui sibi invidet, nihil est illo nequius, & hæc reddito est malitia illius.* Quasi diceret, hoc est esse sibi malum, non esse bonum ex bonis suis: hoc est sibi velut invidete, quando quis mavult parcere suis bonis, quàm inde sibi benefacere ac prodesse.

ff. 3

Luc. 6.

Mal. 2.

ff. 27.

ff. 108.

Pr. 16.

Pf. 83.

Ephes. 1.

Eccles. 21.

Ibid. 14.

## III. PUNCTUM.

**I**NTER benedictos igitur benedicetur non cui melius omnia, sed qui ex omnibus melior, qui sic omnibus datus & acceptis rectè utetur, ut ex omnibus & singulis sanctior, humilior, ad omne virtutis exercitium paratior, & ut ait

2. Tim. 2. Apostolus, *vas sit in honorem sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Hoc est non modò benedictionem accipere & implere, sed in ipsam quodammodo transire benedictionem, ut ait Dominus per Prophetam: *Salvabo vos, & eritis benedictio.* Id est, sic inter benedictos benedicemini, ut ipsa sitis benedictio, non modò quia plus aliis benedictionis accipietis, sed quia benedictionem acceptam melius utemini, quando ad vestram salutem & perfectionem, ejus usum converteretis: sic enim sancti & salvi facti, verè tùm eritis ipsa benedictio, cujus finis & effectus est sanctitas & salus vestra.

Ps. 117. *Eccè sic benedicetur homo qui timet Dominum; qui timet scilicet, quod dixit Dominus de his qui suis abutuntur donis: Quia ego*

Zacch. *Osce 2.*

*dedit ei frumentum & vinum & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal. Et ibidem: argentum suum & Ibid. 8. aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent. Nec non quod dixit Dominus in Evangelio: Luc. 11. omni cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. Hoc enim si verè times, sic intentus tibi eris in omnibus, ut quemadmodum accepisti à Domino ut loquaris & agas, sic omnino perficias; sicque fiet quod precabatur Moyses, *Benedictus eris tu ingrediens & egrediens: id est, universim in omnibus, & singulatim, in unaquaque actione, dum eam inchoando, tu propones cum gratia, quod est perfectius, & finiendo recoles an id effeceris.**

Vide in 1. parte, h e b d o m a d a 1. post Epiphaniam ubi duabus consequentibus Feriis hæ duæ Veritates proponuntur:

Gratitudo animi nulla formari potest digna beneficio vocationis, nisi se animus dignè conformet vocationi.  
Non est minus perfectæ mortificationis, bene uti rebus, quam omninò non uti.

Die 25.  
Martii.

## I N F E S T O ANNUNTIATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Quæ tribus primis Adventus hebdomadis propositæ sunt considerationes & veritates, sive de Mysterio Incarnationis, sive Annuntiatione Mysterii, hûc opportunè referri possunt: quibus & nonnullas in pauca contractas addimus, quas unicuique promptum erit aliunde latius producere.

### DE CVLTV BEATÆ VIRGINIS In parvis rebus.

*Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilea, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, & nomen Virginis, Maria. Luc. 1.*

#### VERITAS PRACTICA.

Sui quisque cultus ac pietatis in B. Virginem, sæpe fidem majorem in parvis, quam in magnis.

*RATIO est, quia majorem sui cultus ac pietatis fidem is facit, qui magnis indicat se pure colere Beatam Virginem. Sed sæpe id magis indicatur in parvis quam in magnis.*

Ergo

Ergo si quisq; cultus ac pietatis in B. Virginem, fidem saepe majorem facit in parvis quam in magnis. Quod praesertim adolecentibus, aut plebeis viris, aut incipientibus est opportunum.

## I. PUNCTUM.

**Q**UID sibi voluit Evangelista, inquit S. Bernardus homilia 1. super MISSVS EST, Quid sibi voluit tot propria nomina rerum in hoc loco, iam signanter exprimere? Credo quia noluit nos negligenter audire, quod tam diligenter studuit enarrare. Nominat sic quidem nuncium qui mittitur, Virginem ad quam mittitur, Sponsum quoque Virginis; arborumque genus; civitatem, ac regionem propriis designat nominibus. Putasne aliquid horum supervacue posuit? Tum ille sigillatim de uno quoque dissent. S; verò Petrus Chrysologus sic de his universis: Locum, tempus, personam, S. Evangelista designat, ut relationis veritas manifestis ipsarum rerum comprobetur iudicis. Sic enim sic sapienter, dum minutura quæq; recensetur, apertius innotescat quod narratur, quam si majora tantum proferrentur. Adde quod; ubi Mysterium describitur, in quo quæ magna sunt, facta sunt parva: & quæ parva erant, facta sunt magna; convenientissimum fuit sic parva magnis jungere, ut parvis magna dignitatem conferret, & magnis parva fidem astruerent. Denique nihil ad cultum B. Virginis designandum aptius, quam ut intelligamus sic magna esse parvis annexenda, ut neutra sibi præjudicent, sed se utraq; potius juvent; & magnorum merito, parva nobilitentur: & parvorum numero, magna consistant. Si nostra quidem spectamus debita, nihil tam magnum reddimus quin parvum cæseri debeat: si verò dignitatem ejus, quam colimus, nihil tam parvum est, quod non magnum fiat illius magnitudine. Nullū est itaq; genus officii & pietatis omittendum in ejus cultu, quod præstare possimus cum gratia.

Nec magna suis sumptibus aut difficultatibus nos deterreant; nec parva suis minutis nos deludant, quasi nihil esset ad cultum & meritum quod in illis præstatur. Illam enim colimus, quæ & satis potens est ut magna quæq; compenset, & satis benigna est ut parva quæque respiciat.

Et quia facilius est unicuique parva quam magna præstare, unde & minus excusabiles

sumus, si desimus in his quæ magis possumus, ideoque præcipue in his invigilandum est, ne quid propositi prætermittamus officii, quantumcunque sit illud exiguum. Imò quo est magis exiguum, minus omittamus, sive quia ut dixi, facilius est factu, sive quia ut dicendum est ex proposita veritate, magni est meriti. Sicut enim ex parvis illis Galilæa, Nazareth sexto mense, & aliis minutionibus circumstantiis, sacer historicus historiam suam apertiore facere dicebatur, sic plane sic ex parvis & quotidianis illis quæ potes reddere, *Tu majorem fidem præstabis tua devotionis & pietatis in Beatam Virginem, quam si forte quid majus esset & dignius.*

Ratio, quæ afferitur, jam supra partim aut infra magis agitur, in prima scilicet & tertia parte, locis in fine hic annotatis; unde hæc pauca in rem præsentem deducuntur. Sux quisq; pietatis in colendissimam Dei matrem, majorem facit fidem, qui melius & apertius indicat quam purè illam colat, Id est, vel sincerè ex animo, vel purè propter ejus meritum & dignitatem, vel purè propter morum & cordis puritatem, qui certè cultus quocunq; horum trium modo sumatur, est excellentissimus & acceptissimus.

*Quasi Libanus, inquit, non incisus vaporari habitationem meam, & quasi balsamum non mixtum odor meus.* Quasi diceret, & in me & in meis hoc est quod præsertim eminet, ut nihil sit mixtum & infectum, sed pura omnia & sincera, *Virgo erat, inquit S. Ambrosius, non solum corpore sed etiam mente, qua nullo dolore ambitu sincerum adulteraret affectum.* Nec a mare, nec amari: nec quidquam colere, aut à quoquam velle coli, nisi purè & sincerè, hoc est Parthenicum, hoc est Virgineum, hoc est Marianum.

## II. PUNCTUM.

**S**ED saepe id magis indicatur in parvis, quam in magnis.

Primo quàm purè & sincere, ex animo, & non verborum tenus: nam illa parva sunt ordinariè magis voluntaria quàm magna; sunt illa quæ ideo ex devotione dicuntur fieri, quia sunt voluntariè, seu ex propria potius propensione bene affectæ voluntatis, quàm ex ulla obligatione vel motivo extrinsecus adven-

*Exodi 35.* adventante. *Omnis voluntarius & prono animo,* inquit Scriptura, *offerat aurum & argentum & as, hyacinthum & purpuram, pilos caprarum, pelleque arietum rubricatas.* Id est, si-ve aurum si-ve as offerat, si-ve purpuram, si-ve pilos caprarum, quæ certè sunt in se valde diversa, si tamen voluntario & prono animo offerantur, perinde acceptantur omnia, nisi quod ea quæ magis voluntariè offeruntur, magis etiam placent, quia illa est voluntatis propensio quæ præsertim spectatur. Non est dubium, quin si aurum tum propenso daretur animo, sicut as, aut quid vilius, auri oblatio esset pretiosior, sed quia rara est non modò talis oblatio, sed & talis propensio voluntatis etiam in his qui commodè pretiosa possent offerre; ideoque verè dicitur, in parvis sapius & pene in solis parvis hanc animi pronitatem reperiri, atq; propterea sic melius indicari quàm purè & sincerè ex animo colant eam, cui sic sua deferunt. *Corde perfecto & animo voluntario,* sic utrumque simul scriptura jungit.

*1. Par. 28*

Deinde quod est magis considerandum, cum parva fideliter fiunt, non magna inde speratur merces, sicut in magnis; non id spectatur, non id attenditur, sed purè dignitas & excellentia sanctissimæ Virginis Matris, quæ tanti est meriti, ut posse illi servire, cenleri debeat acceptum potius beneficium quàm officium persolutum: quod certè est purè illam colere, purè propter ejus dignitatem & meritum, cui licet valde impar & longè inferius sit illud parvum quod præstat, quia tamen purè præstat propter ejus celsitudinem, ab illa puritate hautit quod à parvitate deesse poterat. *Offeret unusquisque secundum quod habuerit juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei.* Quidquid detur purè detur propter ejus excellentiam cui datur, sic excelsis omnibus donis.

*Deut. 16*

Deniq; cum nullus sit Virginis Cultor, qui non audierit in servanda cordis & corporis puritate cultum ejus præcipuè situm esse, quis nescit illam cordis & corporis puritatem tanto magis indicari, quanto minora erunt quæ propterea curabuntur? Quis è duobus purior & sanctior: aut qui ne primas quidem occurrentis vitii species quantumcunq; leves ferre possit quin expugnet: aut qui solum illud quod est in vitio gravius caveat: *Musca moventes perdunt suavitatem unguenti.* O præclare dictum à Sapiente! quantumcunq; suaves &

*Ecl. 10.*

acceptæ sint illæ preces quæ offeruntur, si tamen ab impuro corde offerantur, perit eorum suavitas; tanti refert cor illi purum servare! tanti refert primis & modicis invigilare cordis moribus ubi tota consistit puritas!

### III. PUNCTUM.

*S*icigitur sui quiq; cultus ac pietatis in Beata Virgine, sepe fidem facit majorem in parvis quàm in magnis rebus, quia sic indicat se purus illam colere, in qua cultus puritate tota versatur pietas, quæ tantæ dignitati & bonitati debetur, *Accipe,* inquit, *disciplinam meam & non pecuniam: doctrinam magis quàm aurum eligit.* Quasi diceret, si quid mihi vultis offerre gratum & acceptum, nolite laborare in conquirendis exquisitis & pretiosis rebus, obvias & quotidianas prout edocemini, prout scitis & potestis, malim mihi à vobis præsentari. Sicut & à me non expectetis temporales divitias & humanas illas dotes, quibus inhiare solet naturalis cupiditas. Meo vos exemplo doceo, & quid petere, & quid dare debeatis. In parvis æquè variata sum ac in magnis, & quidquid in me fuerit magni, non ita magnitudinem meam sicut humilitatem & parvitatem, respexit Deus. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Id est, humilitate & exilitate mea potius attractus est ille Rex regum, quàm ulla virtute alia. Hæc est disciplina mea, hæc vitæ ratio quam tenui, ut semper parva magnificerem; & hæc est doctrina quam profiteor, ut, qui meus esse velit, hanc sequatur. *Si quis est parvulus veniat ad me. NVNC autem filii audite me. Beati qui custodiunt vias meas, audite disciplinam, & estote Sapientes, & nolite abicere eam.*

*Prov. 2.*

*Cant. 1.*

*Prov. 9. 3.*

*Cant. 1.*

*L. 2. de Virg.*

Mirum certè quod Sponsa Sponso poma offerat & similes quosdam vulgares fructus; quæ ut manifestius videas spectate ad Sanctissimam nostram Virginem, recordare quod alias ex S. Ambrosio commemoratum est, quod illa quanta quanta esset, se tamen pauperum precibus commendabat, & in eorum prece tantum ponebat, quantum in divitiis divites hulus sæculi. Potestne jam dubitare quin illi parva placeant: aut si non dubitas, potestne illi recusare? Et tamen in quantis parcus es & avarus. Quàm multis otiosis verbis abstinere posses, in ejus cultu? Quàm multis cupiditatum motibus? Quàm multis mundanis & sæcularibus nugis? Non commemo-

memoro positivos quos vocant pietatis act<sup>o</sup>, qui multi parvi & quotidiani possent exerce-ri, sed negativos illos urgeo, qui videntur actu minores, qui tamen merito ac beneplacito sunt majores. Nam illa sunt quæ tam libenter recipit optima parens nostra, quam vehementer optat nostram salutem, quæ ex his negativis actibus magis pendet quam a-  
 Eccl. 24. *Qui operantur in me, inquit, non peccabunt, qui mihi colendæ vacant, qui mihi suo velint*

placere cultu, si me audiunt, non peccabunt, si mihi verè velint placere, hoc uno quod volunt agent, si non peccent, si se ab omni specie mala quantumvis levi, conti-neant.

Vide in 1. parte, Feriam 6. infra hebdomadam sextam post Epiph. Et in 3. parte, Feriam quintam infra hebdomad. 8. post Penteco-sten. Et in Festis B. Virginis.

## DE SANCTITATE BEATISSIMÆ Virginis, Unicuique magis proponenda.

Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulie-  
 ribus. Luc. 1.

### VERITAS PRACTICA.

Quod cuique magis ex Virgine Matre pro-  
 poni debet, est ejus Sanctitas: non  
 quàm sit sancta, sed quàm  
 tota sit sancta.

*Sensus & Ratio est, quia quod magis simul pro-  
 movet majorem Virginis gloriam, & nostram  
 spiritualem utilitatem, illud est, quod cuique  
 magis ex Virgine proponi debet.*

*Sed ejus sanctitas sic proposita, ut non ita quàm  
 sancta sit, quàm quod tota sit sancta spectetur,  
 magis simul promovet majorem Virginis glo-  
 riam, & nostram spiritualem utilitatem.*

*Ergo illud est, quod cuique magis ex Virgine Ma-  
 tre proponi debet; omnibus quidem Christia-  
 nis sed præsertim proficientibus & perfectis.*

### I. PUNCTUM.

**I**gnari viarum viatores si fortè incidissent  
 in trivium; ne aberrarent longius, erant  
 olim appositæ quædam statuæ seu acervi  
 lapidum, qui dicebantur Mercurii, unde una-  
 quæque via designabatur: cujus saltem no-  
 minis mentionem facit Sapiens in Prover-  
 biis. Sic opportunè dici posset cœlestis Nun-  
 cius jam nobis representari, ut tanta in di-  
 versitate rerum, quæ occurrunt tractandæ,  
 determinetur nobis quid aptius & quid ru-  
 Prov. 26.

*Haynesfve Pars II.*

tiis quò tendamus. Ave, inquit, gratia plena.  
 Quàm multa proferrè poterant in ejus, quam  
 salutabat, laudem & gloriam? sed nihil aptius,  
 nihil sublimius, nihil utilius quàm ut ejus  
 sanctitas quæ est ipsa gratiæ plenitudo, nobis  
 proponatur, sive ad cultum, sive ad imita-  
 tionem hujus sanctissimæ Virginis Matris.  
 Quod ut apertius patefiat, in hoc est posita  
 veritas modò expendenda, & veritatem ratio  
 sic demonstrat.

Quod magis simul promovet majorem  
 Virginis gloriam, & nostram spiritualem uti-  
 litatem, illud est, quod cuique magis ex Vir-  
 gine proponi debet. Non alterum sine altero:  
 neque nostra sola spectetur utilitas, neque so-  
 la illius gloria, quia vix aliter commodius  
 alterutrum promoveri potest, quàm si simul  
 indivisim proponatur. Quæ est enim nostra  
 utilitas sine illius gloria? Aut quam apud  
 nos consequetur gloriam, nisi quales illa nos  
 oprat & procurat, efficiamur, aut effici stu-  
 deamus? *Gaudium meum & corona mea, di- Phil. 4.*  
 cebat Apostolus suis Philippensibus. Et rur-  
 sum alius explicatius: *Quæ est enim nostra spes, 1. Thess. 2:*  
*aut gaudium, aut corona gloria? Nonne vos ante*  
*D. N. Iesum Christum? vos estis gloria nostra*  
*& gaudium.*

Certè nisi Paulus jam fuisset sic à Christo  
 glorificatus, ut eximius esset Apostolus, nec  
 Philippenses, nec Thessalonicenses aut alii  
 quibus prædicabat, tantam ex eo prædicante

ff

pet-

percepissent utilitatem; & nisi multum hi ex Apostolo profecissent, non tanta fuisset Apostoli gloria, unde manifestè patet quantum se illa duo invicem juvent & promoveant.

Quod in beata Virgine tantò potiorē habere locum necesse est affirmare, quantò nobis arctius intercedit cum illa vinculum eorum omnium, quæ ad salutem spectant. Illius gloria est, nostra est utilitas; & nostra utilitas, illius est gloria. Quantò enim excellentiorem eam esse & sublimiorem aud. verimus, tantò erit & cultus noster, & animus totus in illam propensior; quantòque hæc nostra propensio magis religiosa fuerit, tantò & illa in nos effundetur splendidius. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. Non una tantum sed duæ sint oportet simul ex utraque partependentes murenular, quæ quidem sunt aureæ ex Virginis merito, & vermiculatae argento, ex nostra utilitate simul juncta. Flos est campi, & lilium convallium, ad utilitatem scilicet & eorum omnium opportunitatem, qui ea velint uti.*

Cant. 1.

Ibid. 2.

Ibid.

Illam est quæ petit fulciri floribus, & stipari malis; quasi diceret, se florere nolle nisi simul fructificet. Illa est cui sic dilectus loquitur, *surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea.* Nempe amica ex merito suo, columba ex nostra utilitate, & inde ex utroque pulchra & formosa. Tum quod subjungitur, quàm aptè & cohærenter! *ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora:* Nempe ad ejus meritum cognoscendum desideratur facies; & ad utilitatem hauriendam vox & sermo petitur.

Sic evolvi possent quæcunque in Canticis de illa referuntur symbola, in quibus illa duo sic simul juncta, mutuam sibi servant fidem, ut quod Deus sic conjunxit, nefas sit hominem separare.

## II. PUNCTUM.

**S**ed ejus sanctitas sic proposita, ut non ita quàm sancta sit, quàm quòd tota sit sancta, spectetur, magis simul promovet majorem Virginis gloriam, & nostram spiritualem utilitatem.

Primò quidem quòd sanctitas, quæ omnes in æternas gratias, & omnes externos virtutum actus comprehendit quàm longè superet dignitate & merito quæcunque alias animi seu

corporis dotes, atque ipsius etiam maternitatis eminentissimam dignitatem, vide & re Cole quæ in Conceptionis festo & de S. Joachimo relata sunt. *Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata.* Dic quicquid voles de Virgine Matre, nisi dixeris eam sanctam, nihil dicis ad ejus gloriam, quia quæcunque anima fuerit illa sanctior, erit & gloriosior, nam gloria in sanctitate est, *Magnificentia in sanctificatione ejus.* **MAGNIFICENTIAM** gloria sanctitatis tua loquentur. Hoc est, quod in cælo à primoribus Angelis de Deo celebratur magnificentius: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus.* Hoc est quod de Christo commendatur singulariter, *Sanctus sanctorum.* **Q**UOD nascetur ex te sanctum, filius Dei vocabitur. Hoc est quod de nostra Virgine primum & præcipuum commemorat Angelus, *Ave, gratia plena,* gratia illa omni videlicet, quæ & sanctificans dicitur, & qua sanctificatio perficitur, qua qui abundat plenius, eo est sanctior, & quo est sanctior, eo est Deo propior & gloriosior. *Qui sanctus est sanctificetur* adhuc, nam sanctitati præcisè adæquatur beatitudo & gloria.

De sanctitate porro seu gratia beatissimæ Virginis cogitare volenti au dicere, tria essent distinctè proponenda, nempe qualitas, quantitas & plenitudo. Qualitas ejus est, superioris cujusdam ordinis supra omnes alias gratias tam excellens ut minimus ejus gradus excellat supremo gradui cæterarum, *omne desiderabile, ei non potest comparari.* Quantitas verò talis, quæ respondeat dignitati Matris quæ cum aliquo modo sit infinita, ut ait sanctus Thomas, sic gratia & sanctitas non nisi abyssus inscrutabilis, & immensum quoddam mare dici potest; unde hæc sunt præclara S. Augustini: *Maria dignitatis & gratia effectum, nec cor concipere, nec lingua valet exprimere. Ineffabilem enim sanctificationis gratiam quam concipiendus præbuit, conceptus & natus non abstulit, sed auxit: quæ quantum in corpore valuerit Virginis, illi soli notissimum est, qui de ejus natura naturam suscepit quam condidit.*

Plenitudo denique hoc quantitati & qualitati addit, ut nulla fuerit animæ facultas, nulla pars corporis, nulla vitæ actio, nulla uno verbo res capax sanctitatis, quæ ad sanctam spectavit Virginem, cui non infusa fuerit sanctitas tam constanter & effusè ut nihil nisi sanctum toto vitæ decursu egerit, dixerit, cogitarit.



Cant. 4. gitarit. Tota pulchra es amica mea, & macula  
non est in te; Nihil profus inordinatum. San-  
ctificavit tabernaculum suum Altissimus, Deus  
Ps. 45. in medio ejus non commovebitur. In medio ejus,  
id est, in corde unde carere vitæ actus ema-  
nent & sancti sint. Vel potius in medio cujus-  
cunque ejus actionis ut eam dirigat, purificet  
& omni sanctitate repleat: Non commovebitur,  
id est, nunquam inde recedet, nunquam  
deficiet, sancta ubique & semper in omnibus  
sicut ipse Deus, non natura sua, sed gratia di-  
vinitus communicata & conservata: de cujus  
plenitudine quomodo à cæteris differat, vide  
in sequenti discursu.

Hoc est autem quod in sanctitatis gloria  
dico eximium, hoc est vel maximè quod de  
sancta Virgine gloriosum commendetur, non  
tam præcisè quod sit sancta qualiter quali-  
tate aut quantitate sanctitatis, quàm quod sit  
tota sancta, quàm quod nihil profus defue-  
rit ad talem sanctitatem quæ maternitati di-  
vinæ comperebat, nihil profus in vita ejus  
vacuum & inane fuerit, quod non sanctitas  
& gratia totum impleverit & meritis cumu-  
larit. Et Dominus erat cum ea, & non cecidit  
ex omnibus verbis ejus in terram.

At quantumcunque sublimis & singularis  
fuisse ejus gratia, si quo in actu vitæ Virgi-  
nalis defuisset, si qua in parte corporis, si quo  
in motu cordis defecisset, apparuisset lacina  
& macula, nec tota pulchra & sancta fuisset,  
quod sanè de ejus gloria multum detraheret.  
Nunc verò cum dicitur plena, nihil lacuno-  
sum, nihil infectum, nihil inane, nihil natu-  
rale, nihil ne humanum quidem cogitatur,  
sed totum spirituale, totum cæleste, totum  
divinum. Quæ certè laus, laudis ipsius est  
gloria, seu ipsius corona gloria, id est, extre-  
mum quo humana creatura possit ascendere.

Sicut aurum quantò est purius, tantò est  
pretiosius, sicut Angelus quantò magis est in-  
corporeus, eo magis est spiritus & excellen-  
tioris naturæ, sicut & ipse Deus quantò est  
simplicior, & ab omni corpore, seu accidente  
remotior, tantò est in sua natura perfectior;  
sic planè de quovis homine cujus perfectio  
est quàm proximè ad Angelos aut ad ipsum  
Deum accedere, tantò magis eò promoveretur,  
quantò magis totus evadit spiritualis, non per-  
mutatione sua corporalis substantia, sed muta-  
tione vitæ & morum, ut ait S. Paulinus in illud  
Apostoli, In carne non estis, sed in spiritu.

Hoc laboramus errore, inquit præclare Seneca, sic nobis imponitur, quod neminem aestima-  
mus eo quo est, sed adjicimus illi ea quibus adori-  
natus est. Atqui cum voles veram hominis aesti-  
mationem inire & scire qualis sit, nudum inspicere,  
ponat patrimonium, ponat honores, & alia for-  
tuna mendacia, corpus ipsum exuat, animum  
intuere, qualis quantusque sit, alieno an suo ma-  
gnus. Nos verò in sublimiore instituti schola,  
dicamus etiam, animum ipsum quodammodo  
exuendum esse, quantum quidem ad natura-  
lem spectat statum & ordinem, inspiciendus  
est qualis quantusque sit in supernaturali statu  
& ordine, & tantò demerit magis aesti-  
mandus & prædicandus, quantò magis in eo  
purius & sincerius erit statu, nulla ut rei cu-  
jusquam inferioris permixtione depravetur.

Sic autem perfectè pura & tota spiritualis  
dicitur sancta Virgo, cum plena gratia dicitur,  
quasi diceretur nihil in ea posse aliud in-  
veniri, quod non in gratiam transierit, quod  
non in se gratia transmutaret, sicut ignis fer-  
rum sic ignefacit, ut non ferri quidem natu-  
ram destruat, sed suas illi qualitates ita com-  
municet ut in ignem ferreum transivisse vi-  
deatur.

Hoc probè intellexit sanctus Ambrosius,  
cum explicaret illa verba sancti Joannis de  
beatissima Virgine Matre sibi à Domino data  
in matrem, Et accepit eam discipulus in sua. In exhort.  
QUID est, inquit, in sua, cum reliquerit patrem ad Virginem.  
& Christum sequutus sit: aut quomodo in sua,  
cum ipsi Apostoli dixerint, ecce nos reliquimus  
omnia & secuti sumus te? Quæ sua habebat Io-  
annes, qui mundana & secularia non habebat  
quia de mundo non erat? Bonus verbi sapientia-  
que possessor, bonus præceptor gratia. Audite quæ  
Apostoli à Christo acceperunt, accipite, inquit,  
spiritum sanctum. Neque enim mater Domini  
Iesu, nisi ad possessionem gratia demigravit, ubi  
Christum habebat habitaculum. Hæc Ambrosius  
doctè & acutè; ait Cardinalis Toletus, Beata in Ioan.  
enim Virgo inter spiritualia bona maximè puta-  
tur quæ Apostoli non reliquerunt, sed acceperunt;  
in temporalibus pauperrimi, sed in spiritualibus  
ditissimi.

O qui sciret pretium gratiæ, o qui sciret  
longam illam & prope infinitam distantiam,  
quæ intercedit inter naturæ opus & gratiæ:  
quantū illud stuperet in Virgine Matre, quod  
nullum nisi opus gratiæ toto in vitæ decursu  
ediderit: & quantum in cæteris hominibus

miraretur, quod vix ullum eorum opus sit gratiæ, vix ullum quod naturæ non sit & naturæ corruptæ?

Supereft ut de fpirituale noſtra utilitate inde potiffimum permanante confideremus. Quod quidem erit facillimum agnoſcere ſi duo hæc principia ſatis per ſe nota præſupponas. Primum eſt, ad ſpiritualem profectum in primis valere ſolidum cultum & ſinceram pietatem in Beatiffimam Virginem, cui hæc propterea Sapientiæ voces communi cõtius Eccleſiæ ſenſu conveniunt, *Qui me invenit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.*

Prov. 8.

Eccleſ. 24.

*IN me gratia omnis via & veritatis: in me omnis ſpes vita & virtutis. Qua de re infra fuſius. Alterum eſt, hunc ſolidum cultum & ſinceram pietatem non poſſe melius inſtitui quàm ſi pro noſtra quique vocatione ſtudeamus illam imitari, ſicut ipſa nos invitat; *Beati qui**

Prov. 8.

Serm. 2.

ſuper miſ-

ſus.

*custodiunt vias meas, & ſanctus Bernardus expreſſè monet; ut impetres ejus orationis ſuffragium, non deſeras converſationis exemplum.*

Quibus ſic præſuppoſitis, nihil ad imitationem aprius aut convenientius proponi poteſt quàm illa ſanctitatis plenitudo ſic declarata, per omnes vitæ degendæ partes. Quid enim imitemur in ejus gratiæ qualitate vel quantitate quam nulli hominum aut Angelorum fas eſt non modò adæquare, ſed nec æmulari? At verò plenitudinem ejus ſanctitatis & gratiæ ſic poſſumus & debemus imitari, ut ſecundum gratiam nobis communicatam non uni aut alteri ſolum virtuti vacemus, ſed omnibus univerſim. Nec aliquibus duntaxat virtutum actibus aut aliquo tantum tempore, vel loco, vel motivo, ſed ubique, ſemper, & eodem quo illa ſine ac propoſito, intèdamus, invigilemus, inſeneſcimus, & immoriamur univerſæ virtutis ſtudio, nulla ut prolius ex

Eccleſ. 14.

*parte defraudemur à die bonas & particula boni doni nos non praterent.*

Ephes. 3.

Hoc eſt eam imitari, hoc eſt illi eſſe additum, hoc eſt illi eſſe carum; hoc eſt in via eſſe ad profectum, hoc eſt impleri in omnem plenitudinem Dei, quod optabat Apoſtolus, id eſt, quantum ipſe Deus velit; hoc eſt quod agebat S. Bernardus, *ne deſeras ejus converſationis exemplum.* Non dicit ejus contemplationis, non ejus zeli & ardentiffimæ charitatis, quæ fortè eſſent ſublimentiora, ſed *converſationis*, id eſt, reſum in tuo vitæ ſtatu agenda

ſpiritualem induſtriam, nihil ut agatur perperam, improvidè, negligentè, otioſè, ſed omnia honeſtè, ordinate, in ſpiritu, ex virtute & ratione ſuperiori; Quid juſtus? Quid rationabilis? Sed expendenda ſunt ſancti Abbatis verba, *ne deſeras ejus exemplum.* Id eſt, ubique, ſemper, in omnibus. In hoc enim uno ſita eſt plenitudo gratiæ ut ad omnia ſe extendat ne cuiquam noſtrum dicatur: *Non Apo. 3. invenio opera tua plena coram Deo: Sed potius, Consummatus in brevi, explevit tempora multa Sap. 4. ta, placita enim erat Deo anima illius.* Certè ſi eſt placita Virgini, erit & Deo: placebit verò Virgini, ſi virginitatem illam, quæ eſt actio-num integritas, ſervet, ſicque non recedet ab ejus converſationis exemplo.

### III. P U N C T U M

*S*ic ergo quod cuique magis ex Virgine Matre proponi debet, eſt ejus Sanctitas, non ſic quidem propoſita, ut qualis quantaque fuerit, ſubtilius enaretur, ſed quam fuerit integra, plena & perfectæ, non in habitu ſolo, ſed in actu ſimul & opere, ſeu potius in tot gratiæ & ſanctitatis actibus, quot ejus vitæ fluxerunt dies, quot fuerunt horæ, & momenta, quibus omnibus & ſingulis præſidebat gratia, dominabatur virtus, & imperabat ſanctitas. *Conſideravit ſemitas domus ſuæ, & panem otioſa Pr. 31. non comedit.*

Sic enim primò intelligitur quàm fuerit digna Mater Dei, quo uno titulo quidquid ad ejus gloriam dici poteſt, continetur. Deinde verò, quod aliud eſt in his noſtris querendum exercitationibus, apparebit quid fructus inde colligi, quid ſpirituales emolumenti poſſit in vitam & mores redundare. Nam quando hoc unum eſſet, quod omiſſis ceteris, quæ humana ſunt & naturalia, de Virgine Matre hoc vel maximè prædicatur, quod ſit ſancta, quod ſit experta omni culpæ, & totius virtutis Domina, quod unum hoc in toto vitæ decurſu agat, ut bene in omnibus agat: certè ſit evidens, quid ſit in rebus verè boni aut mali: & quàm longè fallantur homines, qui dicunt malum bonum: & bonum malum. *Jf. 5.* Quis enim dubitet, ſi hæc divitiæ & delicia, quæ in præcipuis ponuntur bonis, verè eſſent bona, quin eorum partem bonorum non contemnendam Chriſtus communicaret Matri? Aut ſi paupertas talè eſſet malum, quale ſibi ſingunt

gunt homines, cur malum hoc non avertisset a suis Deus! Nunc vero cum unum malum quod est peccatum a sacra Virgine Deus avocavit; & in eam, unum bonum quod est gratia sive sanctitas, plena manu congesserit: quis non discat aliter de rebus judicare quam mundus iudicat: & de bono ac malo sentire aliter quam caro sentiat?

Hoc autem qui perfecte didicerit, atque in quotidianam praxim adduxerit, nã is proficiet & jam multum profecerit, cum is incarnandi Verbi præcipuus finis fuerit. Hoc est scilicet quod Propheta prædixit: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel: Butyrum & mel comedet ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Id est, sic nobiscum erit Deus, in illo Virginis filio, ut ille Virginis filius sit simul Deus & homo. Atque ut appareat manifestius quod naturale & humanum corpus habeat, nutrietur & crescat illis alimentis, quæ infantibus in Judea subministrantur. Et sicut dum erit infans, ipso gustu sciet quid sit bonum & suave palato, vel quid malum & amarum: ita per hanc ip-

sam experimentalem scientiam cognoscat, & procedente ætate cognoscendum mundo dabit, quid sit in aliis rebus omnibus verè bonum & malum. Nam hoc ipso, quo ex malis omnibus, in se & in matre sua, solum peccatum reprobat, hoc solum esse malum docebit. Et dum ex omnibus bonis, sola illa quæ sunt spiritualia & divina sibi & matri præcliget, hæc sola verè esse bona, declarabit. O verè arborem scientiæ boni & mali, reparatricem funestæ illius, quæ primum delusit hominem.

Atque hinc forte dictum à sancto Petro Chryologo de illa Virginis gratia: *Hac est gratia qua dedit cœlis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitam ordinem, moribus disciplinam.* Nempe ut si velimus, sic possimus ordinare vitam. Atque ut velimus, hoc unum nobis in colenda & imitanda Virgine proponamus: hoc uno nos ab illa diligendos & in spiritualem nostrum profectum dirigendos cogitemus, sicque illi ex intimo dicamus corde. *Trabe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum.*

Serm. 143.

Cant. 1.

## DE NECESSITATE VIRGINIS MATRIS ad Salutem.

*Ecce concipies in utero, & paries filium. Luc. 1.*

### VERITAS PRACTICA.

Non tam sibi quam nobis, Christus elegit Matrem.

*Sensus & Ratio est, quod si non ita erat necessaria Christo mater ut esset Salvator noster, quam necessaria nobis est ut salvi simus: verè dici potest, quod non tam sibi quam nobis, Christus elegit matrem.*

*Sed non ita erat necessaria Christo mater, ac nobis. Ergo non tam sibi quam nobis, Christus elegit matrem: unde profecto constabit quantum illi debeamus Matri.*

### I. PUNCTUM.

**L**egationis Angelicæ hoc erat præcipuum caput, ut dum intelligeret Virgo se electam in filii Dei matrem, huic electioni consentiret, & mox Verbum in ea Caro fieret.

*Virgo regia Davidica stirpis eligitur, inquit sanctus Leo, qua sacro gravidanda fœtu, divinam humanamque prolem prius conciperet mente, quam corpore. Et ne superni ignara consilii ad insidiosos parveret effectus, sic enim aptius videtur legendum quam, affatus, quod in ea operandum erat à Spiritu sancto, colloquio discit angelico. Nec damnium credi pudoris, Dei Genitrix mox futura. Rectè autem & acutè S. Petrus Chryologus, ad hæc Angeli verba: *Ecce concipies in utero. PROPTER reverentiam dixisse suffecerat, CONCIPIES: quod exaggerat IN VTERO, quid est: Vt conceptus esset veritas non figura: ut partus esset proprietas non imago: ut sicut de Deo vero, Deus verus natus est, sic de vero conceptu, veritas humani corporis nasceretur. In oru Christi, fratres, humani corporis injuria sublata est, non natura, nec est creatura delecta, sed culpa damnata. Est ergo hæresis qua Christum ærium corpus assumpsisse mentitur, nec habuisse carnem, sed hominem simulasse confingit.**

Serm. 1. de

Nativit.

Dom.

Serm. 144

At quis non miretur sic carnem de carne Deum assumpsisse? quis non obstupescat sic Deum esse factum infantem in utero Virginis? sic Deum voluisse in terris habere matrem qui solum in cœlis habebat Patrem! Sunt hæc certè stupenda, sed posito quod Deus esse vellet homo, non minus forte mirum, nec minus expendendum, *Quod non tam sibi quam nobis suam elegit Matrem.* Hæc certè ad praxim de necessitate nobis illius Matris subsidio agnoscendo & demerendo, plurimum facit.

Sic autem apertè declaratur proposita veritas, ut quod primò præmittitur non sit pluribus illustrandum. Quid enim clarius ex ipsis terminis, quàm si non ita erat necessaria Christo mater ut esset Salvator noster, quàm necessaria nobis est ut salvi simus per ipsum Christum, verè dici possit quod non tam sibi quàm nobis elegerit in suam matrem? Nihil de certa necessitate hic agitur; sed ex hypothesi post declaranda, quod nobis magis necessaria fuerit quam Christo mater, nonne evidenter illud inferitur, quod non ergo tam sibi quam nobis illam elegit matrem?

Nonne sic ratiocinatur Apostolus, cum dicit Philippensibus se quidem aliquando ignorasse quid eligeret, an mori & esse cum Christo, an diutius vivere propter ipsos; hoc tamen postremum elegerit, quia, inquit, *permanere in carne, necessarium propter vos.* Quasi diceret, si jam vivo, non tam mihi quàm vobis vivo, quia vobis est magis necessarium quàm mihi, ut vivam longius. O eximiam Apostoli charitatem, qui cum in corpore velut in carcere se constriatum sentiret, maluit tamen sic vivere quàm dissolvi, quia sic videbat suis esse opportunum! Sed quam longè hanc etiam superat charitas Christi Jesu, qui nostri causa, non in suo tantum sed in materno corpore sic constringi voluit quo ceteri modo infantes constringuntur! Vide in Adventu, hebdomada 3.

## II. PUNCTUM.

*Sed non ita erat necessaria Christo mater, ut esset Salvator noster, quàm necessaria nobis est ut salvi simus.*

Ne quidem erat necessarium Deo fieri hominem, ut nos salvaret; cum multæ aliæ supererent viæ, quibus id potuisset, sed quia sic erat convenientius sananda nostra miseria, ut

ait S. Augustinus, homo fieri voluit. Jam verò ut homo esset, satis illi erat habere corpus humanum, quale habent ceteri homines; neque ad hoc habendum corpus, magis ei erat necessaria mater quàm Adamo & Evæ qui duo primi progenitores nostri, verè corpus humanum habuerunt sine ulla matre. Sic expressè S. Thomas, unde quod matrem haberet, alias oportet esse causas, in quibus illa recenseretur non postrema, quòd sic nobis magis expediret, essetque ita necessarium ut vix alioquin sine illa matre salvi esse possemus. Non quòd Christus ex se non sufficiat, non quòd aliunde sine illo possit salus comparari: sed propter rationem jam supra ex parte productam in prima parte, Feria sexta primæ Adventus hebdomadæ, ubi quòd de perseverantiæ dono dicitur, debet ad alias actuales transferri gratias, sicque ulterius declarari potest quàm sit nobis necessarium tantæ matris patrocinium ad salutem.

Cum enim nulla sit salus post mortale peccatum nisi peccator per seriam pœnitentiam resipiscat: ad hanc autem pœnitentiam seriò instituendam tanto sit opus majoribus gratiis & auxiliis, quanto peccator gravius oneratur peccatis: sit verò divinæ justitiæ & æquitaris in pœnam præcipuè recidivi & toties repetiti peccati, denegare peccatori robustiores illas gratias quas accepisset, nisi Spiritum sanctum sua perveracia contristasset; quo tandem modo & ratione peccator salvabitur nisi quis divinam illam mitiget & flectat justitiam? *Si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?*

Ne dicas, ut monet Sapiens, *Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur: misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius.* Nec dicas etiam Christum pro te passum, ea tibi meruisse quibus redires in gratiam, & salutem consequeris. Nam quas ille tibi gratias promeruit & obtinuit, tu toties neglexisti & conculcasti, ut jam in pœnam sic contemptæ gratiæ sanguis ille pro te fusus contra te clamet vindictam, & qui erat Redemptor tuus, si redemptionis gratiæ & beneficio respondisses, factus sit adversarius & iudex tuus, qui talentum repositum, & non habentem puniat; qui servum inutilem mittat in tenebras exteriores; qui dimissum debitum ab eo revocet, qui sibi debita non remittat; qui nolentem se regna-

Phil. 1.

3 p. 9. l.

Ibid. 9. 31. A. 4.

1. Pet. 4.

Ecl. 5.

Matth. 25

18.

Luc. 19.

Matth. 25

regna-

regnare super se præcipiat coram interfici; qui denique statuat hæc dum à sinistris suis & dicat ei, ito maledicti et in ignem æternum.

Hib. 10.

Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquatur pro peccatis hostia; terribilis autem quedam expectatio iudicii, & ignis amulatio quæ consumptura est adversarios. Irritam quis faciens legem Moy- si, sine ulla miseratione à nobis aut tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est, & Spiritui gratia contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit, mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum, quia iudicabit Dominus populum suum. Horrendam est incidere in manus Dei viventis.

Hæc ad verbum Apostolus, ex quibus videas sic stante misero rerum tuarum statu, quam sit opportunum aliquod & necessariū subsidium, quo divina concilietur iustitia. Hoc autem esse dicitur beatissima Virgo mater, quæ pro materna sua benignitate peccatorem ad ferocentem excipiat, & pro sua potestate Filium exoret, & nobis abunde impetret, quod nunquam nisi à matre Christus exoratus, concessisset. Sic passim sancti Patres quos supra commemorato loco retulimus, quibus hæc addi possunt egregia S. Bernardi: Vehementer quidem nobis, dilectissimi, vir unus & mulier una nocuere: sed gratias Deo, per unum nihilominus virum & mulierem unam, omnia restaurantur, nec sine magno favore gratiarum. Et post pauca: Et quidem sufficere poterat Christus, siquidem & nunc omnia sufficientia nostra ex eo est, sed nobis bonum non erat, esse hominem solum. Congruum magis, ut adesset nostræ reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis planè & potens Mediator Dei & hominum homo Christus, sed divinam in eo reverentur homines maiestatem. Absorpta videtur in deitatem humanitas, non quod mutata sit substantia, sed affectio deificata. Valde notanda verba. Non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter & iudicium, quia etsi didicit ex his qua passus est compassionem ut misericors fieret, habet tamen & iudicariam potestatem. Deniq; Deus noster ignis consumens est: quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fuit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei. Opus est mediatore ad mediatorè istum, nec alter nobis utilior quam Maria. Quia ad Mariam accedere trepidat humana

fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavitas est, omnibus offerens lac & lanam. Revolve diligentius Evangelicam historiam seriem universam, & si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenus indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, & accedere verearis. Quod si, ut verè sunt, plena magis omnia pietatis & gratiæ, plena mansuetudinis & misericordiæ, quæ ad eam pertinent, inveneris: age gratias ei qui talem tibi Mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. Et quæ plura ibi fusè pergit.

Tum verò etiam fusus in proxime consequenti discursu, unde hæc pauca quibus alia confitentur: Ecce coram tremendo Iudice, peccatores assisimus, cuius manus terribilis gladium ira sua vibrat super nos. Et quis avortet eam? Nemo Domina, tam idoneus, ut gladio Domini manum pro nobis obiciat, ut tu Dei amantißima, per quam primum in terris suscepimus misericordiam de manu Domini Dei nostri. Ex omnibus finibus terra ad tuæ protectionis umbraculum confugimus, à facie formidinis fortitudinis Dei. Ad te Domina mea, stillant oculi nostri, te devotionis clamore valido obsecramus, ut Filii tui Domini nostri iram quam graviter peccando succendimus, erga nos mitiges eiusq; gratiam à qua ingrati excidimus nobis tua conciliet. Cuius livore sanati sumus, eius iterum medelam deprecimur, quia putruerunt & corrupta sunt cicatrices nostra, & non est in nobis sanitas.

Ad eam deprecatio.

Hæc non modò intellectum illustrant; sed affectum etiam incenderent vehementissimè, si quemadmodum ille vir sanctus, sentires peccati tui vulnera. O quæ sunt tua vulnera, si sunt ea sancti Bernardi quæ ipse plangit!

## III. PUNCTUM.

Non tam ergo sibi quam nobis Christus hanc elegit matrem, quæ nobis magis quam ipsi est necessaria, necessitate salutis, necessitate poenitentiae, necessitate gratiæ: quæ quidem necessitate nulla major esse potest. Unde si Apostolus considerata necessitate, vel ordinatione divina volebat idcirco Christianos subditos esse potestatibus sublimioribus, quanto id nos magis urgere debet, ut subdamur & serviamus tantæ matri, quæ non ad temporalem aliquam utilitatem, sed ad ipsam æternam vitam est necessaria; & quæ ita est ordinata nobis

Rom. 13.

bis à Filio in colendissimam matrem, ut in ea colenda salutis nostræ quodammodo summam posuerit.

De aqua ductu.

Sic aptè S. Bernardus: Intuere, ô homo, consilium Dei, agnosce consilium Sapientia, consilium pietatis. Cœlesti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit. Redempturus humanum genus, pretium unversum contulit in Mariam! Ut quid hoc: forte ut excusaretur Eva per filium, & querela viri aduersus saminam deinceps sopiretur. Ne dixeris ultra, ô Adam, mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vetito: dic potius, mulier quam dedisti mihi, me cibavit fructu benedicto. Tum paulo post sic inde infert: Alius ergo intuemini, quanto deuotionis affectu à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: ut roinde si quid spei in nobis est, si quid gratia, si quid salutis, ab ea noverimus redundare qua ascendit delictis affluens. Tolle corpus hoc solare quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam, maris utique magni & spatiosi, quid nisi caligo involuens & umbra mortis, ac densissima tenebra relinquuntur? Totis ergo medullis cordium, totis pracacriorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc venerationem, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam. Hac inquam voluntas eius est, sed pro nobis. In omnibus siquidem & per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem.

Et post multa sanè pia & efficacia, sic concludit unversim pro ipsa in Deum ac Christum Dominum pietate: Caterum quidquid illud est quod offerre paras, Maria commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratia, gratia redeat quo influxit. Neque enim impotens erat Deus & sine hoc aqua ductu infundere gratiam prout vellet, sed tibi vehiculum voluit providere. Forte enim manus tua aut sanguine plena, aut infesta muneribus, quod non eas ab omni munere excussisti: ideoque modicum istud, quod offerre desideras, gratissimis illis & omni acceptatione dignissimis manibus offerendum tradere cura, si non vis suscinere repulsam.

Comment.  
tomo. 2.  
Tract. 5.

Si quid denique ultra desideres ad ampliorum huius Veritatis notitiam, sic aptè Salmeron ubi de plenitudine gratia seu de differentia plenitudinis gratia quæ de Christo Domino dicitur, & de Beata Virgine, ac de nonnullis aliis sanctis: Christus, inquit, ut sons & Caput omnium electorum, plenus est, de cuius ple-

nitudine univrsi electi ab initio mundi acceperunt, accipiunt, & in finem u, que mundi accipient. Maria vero illi proxima, ac singulariter conjuncta, plena dicitur gratia, quantam Matrem Messia habere decebat, quantumque pura creatura poterat esse capax, & quantum expediebat ut illa tanquam mater piensissima in nos omnes tanquam filios effunderet: ut pote qua assumpta fuerat à Christo, non ex ulla necessitate, aut impotentia sua, verum propter suam meram bonitatem & gloriam in matre communicandam, atque illustrandam: nimirum ut esset, si ita loqui licet, COR REDEMPTRIX, MEDIATRIX, ET COOPERATRIX SALUTIS HUMANI GENERIS, & ad quam, tanquam ad singularem advocatam, qua semper pro sua reverentia à filio exauditur, communi fidei instinctu & deuotione omnes fideles, tam iusti quam peccatores, ad impetranda omnia bona atque beneficia, tam corporalia quam spiritalia, omni tempore, & omni loco confidenter accedere deberent atque confugere. Hac est plenitudo gratia spectans ad Matrem Messia. Reliqui vero sive Apostoli, sive Martyres, sive Virgines, sive Confessores, si pleni gratia dicuntur, intelligendi sunt eatenus Dei gratiam participare, quatenus ratio officii sui, sive vocationis exigere & postulare videbatur.

Hæc ille in commentariis, unde ad rem nostram duo quædam particularius colligas. Primum, quod si unumquemque Sanctorum merito credas suæ respondisse vocationi & gratia, quanto id certius affirmandum de sanctissima nostra Matre, quantumcunque excellenrior & sublimior fuerit ejus gratia & vocatio, quam ceterorum omnium. Secundum est, quanta inde obligatio & necessitas ejus colendæ, quanta eorum securitas qui ad eam confugiunt, ut quæ suo non desit officio & muneri: quanta eorum miseria & calamitas qui non eam debite colunt, cum sic eam Christus velit ab omnibus honorari; ut omnes ab ea pendeant pro sua spiritali vita, sicut ab illa pendere voluit pro sua temporali. Ratum fixumque est: Christus honorat in nobis Matrem: honorat autem, cum ejus cultores remunerat; aut cum ejus punit contemptores. Honorat, inquam, dum nihil per illam exoratum recusat; aut dum nihil nisi per eam donat.

# DE IMITANDA BEATISSIMÆ Virginis docilitate.

Dixit autem Maria ad Angelum:

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Luc. i.

## VERITAS PRACTICA.

Frustra Beatam Virginem oras, si non quæris sicut illa, quod ignoras.

Ratio est, Quia si ultero & voluntariè manes in culpa, frustra Beatam Virginem oras.

Sed si non quæris sicut illa, quod ignoras & quod est tibi scitu necessarium, ultero & voluntariè manes in culpa.

Ergo frustra Beatam Virginem oras, si non quæris sicut illa, quod ignoras.

Ergo ne frustra illam oras, imitanda est eius docilitas, inquirendo diligenter quod nescis, & credendo firmiter quod didicisti.

## I. PUNCTUM.

De verbis  
Apo-  
stoli  
mag-  
num.

**R**ECTE S. Bernardus de firmo proposito servandæ Virginitatis, quod Beata Virgo conceperat: Probat propositi inviolabile fundamentum quod tam constanter promissenti filium Angelo respondit, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Forte enim propterea primo turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio, quod benedictam sese audisset in mulieribus, qua nimirum benedicti in Virginitibus semper optabat. Et ex tunc quidem cogitabat qualis esset ista benedictio, quod iam videretur esse suspecta. Vbi verò in promissione filii, manifestum Virginitatis periculum videbatur, non potuit ultra dissimulare quin diceret: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Merito proinde & illam mernit benedictionem & hanc non amisit: ut longè gloriosior fiat & virginitas ex fecunditate, & ex virginitate fecunditas, ac mutuis sese radiis illustrare hæc duo sidera videantur.

In quibus verbis illud præcipuè observandum, quod ait de Beatissima Virgine, cum in promissione filii manifestum virginitatis periculum animadvertit, tunc interrogasse Angelum, quomodo id fieri posset, salvo scilicet

Haynesove Pars II,

virginitatis proposito. Quasi Angelo diceret Virgo prudentissima: nihil recuso quod velis à me Deus, sed cum sciam illum à me velle virginitatem, tu vero mihi de maternitate loquaris cui repugnat virginitas, quæro, ut me accomodem divinæ voluntati, quomodo illa duo simul convenire possint. Qua in questione proposita, luculentum prudentiæ & docilitatis exemplum nobis dedit, ut quoties ex Evangelio, ex obedientia, ex divinis consiliis proponitur aliquid vel intellectu vel factu difficile, inquiremus modestè, quomodo fiat istud; non idcirco repudietur quia non intelligitur vel quia repugnat naturæ, vel, quidquid tandem appareat quod opponatur: sed suspendatur iudicium & affectus, expectetur vel quærat interpretatio difficultatis, ne anticipata prævaleat opinio, ne pudeat nos ignorare aliquid, aut interrogare quod ignoramus: nam alioquin vel negabis te posse facere quod tamen posses, si quod nescis scires; vel indicabis te nolle quod tamen velle oportet; vel te excusatum putabis ubi nulla erit legitima se excusandi ratio; res est denique plena periculi, nec leve cenferi debet periculum, ubi de divina voluntate & de salutis negotio agitur.

Quamobrem in id feriò invigilandum, & attentè consideranda veritas qua excitamur ad hanc imitandam Beatissimæ Virginis docilitatem, efficaci sane motivo, & acris stimulo. Quid enim cultori Beatæ Virginis accommodatius, atque ad agendum quod persuadere velis potentius quam nisi hoc agat, frustra Virginem orat, frustra illam colat & veneretur. Nihil illi cum Virgine, nihil cum illo Virgini. Nonne hoc pavendum? Hoc est autem quod dicitur, Nisi quod ignoras interroges & inquiras sicut illa, quomodo fiet istud, frustra illam oras & colis. Nam ut habet declaratio veritatis, certum est quod si ultero in culpa, quam vocant, habituali & gravi permanes, neque velis aut satis cures ex illo damno statu

Ggg

END

emergere, nihil tibi profit quidquid ores aut colas Beatam Virginem. Quid enim profit quod neq; gloriosum Virgini, neq; tibi ad salutem opportunum esse possit? At quamdiu in lethali peccato vis vivere, quid illi te gloriosum: quid ab illa tibi salutis erum esse potest? Peccavisse aliquando, & velle resipiscere, ac propterea vehementer illam orare, sanè illi est gloriosum & tibi saluberrimum: sed ita pervicacem esse in culpa, ut illam nolis unquam deponere, facis & Virgini, & pietati, & animæ tuæ injuriam, si putes in eo statu te colere Virginem & Salutem.

Hom. 2.  
super mis-  
sus.

Quando vel omnium reus esses delictorū, quæ tamen displicerent, accede nec desperes, unquam, aut si vel in ipsum desperationis barathrum, inquit S. Bernardus, forte incidaris, in clama Virginem, invoca Virginem Matrem, nomen ipsum Mariæ cogita, nec frustra verbum effluet, nec cogitatio. Quando verò vel sola una lethalis hæretet culpa quam expiare nolles, etsi tum preces multiplicaveris, etsi dona, etsi vota, & quidquid pium cogitari potest, addideris, nihil agis, quia hoc unum vel maximè tibi esse agendum, ut culpam expiares, quæ te ab æterna felicitate procul excludit. Vel enim putas te cum illa culpa salvandum, vel minime. Si primum ais, falsum ais & blasphemum: si secundum, quid tibi ultro pereunt cum Virgine, quæ si pereuntem adjuvare velit, tu adjuvantem avertis; aut se illa ultro avertet, & sicut olim Ismaëlis mater, Non videbo, dicet, morientem puerum.

Gen. 21.

## II. PUNCTUM.

**S**ed si non quaras sicut illa quod ignoras, ultro & voluntariè manes in culpa.

1. 2. 9. 76.  
# 3.  
Pf. 35.

Quando illud scilicet quod ignoras, debes & potes scire, tunc nisi quaras, ignorantia est voluntaria & affectata, quæ sanè lethalis est, ut expressè ait S. Thomas, & tum perinde est ac nolle agere, juxta illud Psalmi: *Noluit intelligere ut bene ageret.* Illud autem quod sic voluntariè ignorari potest, cum sit varium & & multiplex, tum verò ad triplex revocatur genus. Primum est eorum quæ sunt omnibus Christianis communia, ut non esse de mundo, non esse in lata via, nolle de vires fieri, non esse tepidus. Certum est ex scripturis, hæc esse verita, hæc damnata & condemnata: neque tu qui hæc legis, ignoras ita esse; sed nostine quid sit

esse de mundo? quid in lata via? quid esse tepidum, aut ditari velle? Si hoc ignoras, ignoras quod scire debes & potes, & illa est ignorantia voluntaria, inexcusable & peccato annexa. Cum enim proclive tibi sit esse de mundo, nisi diligenter advertas, non possis autem hanc adhibere diligentiam, nisi probè scias quid sit esse de mundo; certè hoc te scire tam oportet quam aliud quod non negas: ac proinde ignorari non potest sine culpa. *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, propterea infernus dilatavit animam suam, & aperuit os suum, absque ullo termino.*

If. 5.

Secundum genus eorum est, quæ sunt tui status aut officii, si Sacerdos, si Religiosus, si Confessarius, ignores autem quæ spectent ad ministerii tui exercitium in te gravi, in peccati periculo; possisque tam facile quidquid ignoras scire, quam facile posses studere, vel interrogare, nec tamen studeas aut interroges, peccas ignorando, & ille es de quo Apostolus, *si quis ignorat ignorabitur*, id est, relinquetur in peccato & peribit, quasi qui versatur in periculo, unde non potest eripi nisi adjuvetur, nec tamen adjuvetur, quia ignoratur in tali esse periculo. Sic est qui ignorat quæ scire debet & potest. *Quia numquam novi vos.*

1. Cor. 14.

Matth. 7.

Tertium denique te magis adhuc spectat, si quo tei aut creaturæ pravo teneris affectu, de quo dubites an sit parvus, nec tamen dubii tui solutionem quaras, ne forte contra ac velles respondeatur tibi, & cogaris affectum deponere, quem tu mavis fovete: tunc ignoras esse mortale quod putas esse tantum veniale, & in illa tua ignorantia tibi blandiris & palpas, quasi securus inde sis quod si scires esse mortale, non consentiret. Sed perversa est illa securitas & ignorantia, fraudulenta est & dolosa perversitas, *In dolo renuerunt scire me, ait Dominus.* Hi sunt qui apud Job. *dixerunt Deo, recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* *Nolunt scire,* inquit S. Gregorius, *quid faciant: & quasi minus vapulaturus se existimant si nesciant quod operari debuerunt.* Sed aliud est nescisse; aliud scire noluisse, nescit namque, qui apprehendere vult & non valet: qui autem ut nesciat aures à voce veritatis avertit, iste non nesciens sed contemptor addicitur. Quod & paulo post apud eundem Jobum sic repetitur. *Quasi de industria recesserunt ab eo: & omnes vias ejus intelligere noluerunt.*

Ier. 7.

Job 12.

15. Mor. 19

Job 34.

Nun-



Sap. 5.

Supra.

Nunquid hoc est esse in culpa? Nunquid hoc est quod miseri lugent in inferno, *viam Domini ignoravimus*, quia scilicet eam poterant & debebant scire, nec tamen voluerunt sed neglexerunt. *Talis negligentia facit ignorantiam esse voluntariam & peccatum*. Ipsa sunt S. Thomæ verba. Ipsa sunt contra te manifesta testimonia & aperta Judicia.

## III. PUNCTUM.

**F**Rustra igitur Beatam Virginem oras, si non quaris sicut illa, quod ignoras. Frustra, inquam, ad salutem tuam, & ad salutis media, quæ ab illa seu per illam postulamus. Nam tu te illi & teipsum tibi opponis, quamdiu manes in illa voluntaria ignorantia, quæ tam mera est culpa, quam si quid velles agere quod certo scires esse peccatum. Si quid enim te latet ex his, quæ scire debes & potes, te volentem lateat. *Lacet eos hoc volentes*, ait S. Petrus quasi diceret, perinde est quantum ad culpam & poenam, ac si scirent, nam culpa est, velle nescire quod eos scire oportet.

2. Petri 3.

At verò non dubitas quod si esses in manifesto crimine nec poenitere velles, nihil tuæ tibi prodesse orationes, nihil sanctissimæ Virginis suffragia, nihil quidquam divinitus institutum; quia quod illa præstant est poenitentia, seu oblata gratia qua possis poenitere si

velis: aut profectò si nolis, non te impoerentem salvabit gratia, nec quantumcunque gratiosa Virgo, quæ & mediis sibi ordinatis ad salutem usa est, & suos quosque ad hoc ipsum verbo & exemplo invitans; Nunc ergo, *Pr. 8.* inquit, *si ii. audite me. Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, & estote Sapientes, & nolite abicere eam. AVDIENS sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Audi Fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.*

Ibid. 1.

Hæc sunt prima Sapientiæ monita, de quibus fufe in prima parte, tota hebdomada tertia post Epiphaniam. Certe hoc mirum! Vix est aliud negotium de quo non libenter instruamur à peritis, præter salutis negotium, quod vix tamen tutò geritur sine ductu Instructoris aut Superioris, à quo nisi quisq; juvetur, inquit S. Augustinus, nullo modo sibi est idoneus, ut sese tantis miseriarum implicamentis expediat. *ET os meum non interrogasti*, ait Dominus, *habentes fiduciam in umbra Egypti*. Quasi ad dissolvenda omnia conscientia dubia satis esset respondere, quod sic mundus docet & agit. Hæc est umbra Egypti, hæc est adumbrata pene omnium ratio, qui, ne videant se peccare, se mundi velant umbra, se mundi regunt tenebris. *Erit vobis fiducia umbra Egypti in ignominiam.*

L. 1. de  
Serm. D. in  
monte c. 3.  
I. 30.

Ibid.

## DE INIURIA FACTA VIRGINI MATRI, Ab iis qui excusant impossibile.

Quia non erit impossibile apud Deum, omne Verbum. Luc. 1.

## VERITAS PRACTICA.

Qui dicunt se non posse quod jubentur, non possunt id dicere sine iniuria Virginis Matris.

Ratio est, quia qui aliquid dicunt contra bonitatem & potentiam Virginis Matris, non possunt id dicere sine eius iniuria.

Sed qui dicunt se non posse quod jubentur, dicunt aliquid contra bonitatem & potentiam Virginis Matris.

Ergo id non possunt dicere sine eius iniuria, quod certe est impium & cavendum.

## I. PUNCTUM.

**T**AM novum illud erat & tam mirum, quod Angelus nuntiabat Virgini, Virginem parituram, ut meritò ad divinam omnipotentiam tale opus retulerit, dicens, *Non erit impossibile apud Deum, omne verbum*, sive omne opus quod dixerit se facturum. Hanc autem omnipotentiam breviter explicans S. Bernardus: *Apud Deum*, inquit, *Hom. 4.* *nec verbum dissidet ab intentione, quia Veritas super missus est: nec factum à verbo quia virtus est. nec motus à facto quia sapientia est: ac per hoc non erit impossibile apud Deum, omne Verbum.*

Ggg 2 Hæc

Hæc est divina potentia, quam præ ceteris attributis sic magnificabat Virgo Deipara: Quia fecit in me magna qui potens est. Verè magna, verè magnifica, verè magnificanda per omnes ætatum vices. Hic est divinæ potentia singularis actus, quem Christus Dominus nascens exercere voluit, relinquendo suis causis suos alios naturales effectus, & hoc unum sibi assumens, ut Matrem Virginem conservaret. Hoc est denique divinæ opus omnipotentia, quod spectandum in primis proponunt sancti Patres ad firmandam nostram fidem, sive in iis, quæ speculativa dicuntur, sive in practicis. Sic certè sanctus Ambrosius pro veritate sanctissimi Sacramenti: Nunquid natura usque præcessit cum Iesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quarimus, viro mixta sexmina generare consuevit: liquet igitur quod præter naturæ ordinem, Virgo generavit: & hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est? Quid hic quaris natura ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine?

Sic & sanctus Leo pro iis quæ ad mores spectant & virtutum praxim. Postquam dixit Dei esse gloriam ex Matre Virgine Christi nascens infantiam: In terra autem, inquit, illa pax conceditur quæ homines efficit bonæ voluntatis. Quos enim spiritu de intemerata materis visceribus nascitur Christus, hoc de sancta Ecclesia utero nascitur Christianus, cui vera pax est, à Dei voluntate non arvidi, & iis solis, quæ Deus diligit, delectari. Sanctus quoque Chrysostomus: Auditum quidem mirabile est, quod ineffabilis Deus, per Virginis ad nos venit uterum, & fieri ex muliere dignatus est: Tum paucis interjectis, quod si ambigis de his, quæ ad trinum spectant honorem, ab his quæ illius sunt, etiam tua discere credere. Quantum enim consequi potest humana ratio, multum est difficilius Deum hominem fieri, quàm hominem, Dei filium consecrari. Natus est secundum carnem, ut tu nascerere spiritu: natus est ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris.

Et tamen quàm multi etiam nunc causantur ista, quæ ad salutem aut perfectionem nostram jubentur & consulantur, esse impossibilia, aut certè tam difficilia, ut vix in mundo præstari possint! Discere incredulè, discere ex iis quæ sunt Christi & Virginis Matris, etiam quæ tua sunt credere. Credidne potuisse Deum se hominem facere, & suam Virginem Matrem? Cur non credes illum posse te, si ve-

lis, facere humilem, pauperem spiritu, patientem, mitem, & reliquis ornatum virtutibus, atque etiam ut libenter velis id posse, nisi planè resistas ejus potestati? Neque enim renitentem cogit. Sanè hoc unum sufficeret ad omnem retundendam calumniam, quæ religionem impetunt non modò hæretici, sed & Catholicis bene multi, qui sibi fingunt non posse quod nolunt, & quod jubentur tamen facere. Religionis hæc est orthodoxæ injuria, divinæ est violatio potestatis, & cœlestis gratiæ non parva offensio. Potens est enim Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut abundetis in omne opus bonum, inquit Apostolus, quæ de re sæpe alibi.

Sed quia non tam defectu divinæ potestatis, quàm effectu divinæ justitiæ, qua privatur gratis, dicunt sibi contingere ut non possint quod vellent, opponamus illis potentiam quam sibi etiam opponi voluit divina justitia, & demostremus quod licet indigni essent gratis, digna tamen semper est Virgo Mater, quæ vobis illas obtineat, Videt aut nunquam debent dicere se non posse quod jubentur, aut non possunt id dicere sine illius Matris injuria. Nam si quid contra ejus potentiam & bonitatem dicunt, nonne tam apertam ei faciunt injuriam, quam qui alieno detrahit nomini, quod quidem scelus tam grave est, quam nomè cui detrahit, est gloriosum! Non defuerunt certè impii qui blasphemias in eam voces evomerent; Nam illa est, inquit S. Bernardus, quondam à Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput, virtutis pede contritura: cujus planè calcaneo in multis verjus insidiatus est, sed sine causa, sola enim contrivit universam hæreticam pravitatem. Alius non de substantia carnis suæ, Christum edidisse dogmatizabat: alius parvulum non peperisse, sed reperisse sibilabat: alius post partum viro cognitam blasphemabat: alius Dei matrem audire non sustinens, magnum illud nomen THEOTOCOS impuissimè sugillabat. Sed contriti sunt insidiatores, conculecati supplantatores, consutati derogatores, & beatam eam dicunt omnes generationes. Denique & continuo post Herodem draco insidiatus est parienti, ut nascentem excipiens filium devoraret, quod inimicitia essent inter semen mulieris & draconis.

Hæc ille ad verbum sanctus Pater, ex quibus facile est intelligere, quod, qui, de illa negant quæ gloriose possidet, aut qui affirmant dedecorosa quibus exempta est, injuriam illi faciunt.

L. de in-  
tandis 9.  
& de Sa-  
cram. 4.

Serm. 9. de  
Nativ. D.

Hom. 2.  
in Matth.

2. Cor. 9.

De verbis  
Apoc. sig-  
num mag-  
num.

faciunt; sic planè qui, qualem habet potentiam & benignitatem denegaret, non minus ei foret injurius, non minus eam læderet, & sacrum ejus nomen violaret.

O quis ille tam impius qui modò vellet suam draconi præstare operam, ut per se, Virginem sic oppugnaret?

II. PUNCTUM.

**S**ed qui dicunt se non posse quod iubentur, dicunt aliquid contra bonitatem & potentiam Virginis Matris.

Nam dicunt se non habere gratias, se non audere petere, se non mereri obtinere. At saltem eant ad beatissimam Virginem, quæ idcirco electa est à Christo Domino in matrem nostram potius quàm in suam, ut supra dictum est. Negare certè non possunt se orando posse illam àdare, quid enim periculi, quid molestiæ, quidve negotii? Quod unum itaque superest, dicunt se frustra illam adituros, cum non possit aut nolit quod petant imperitari. Nam si possit & velit quod petunt, quid est ex illius parte quod non obtineant? aut si diffidant obrinere, quid est quamobrem diffidunt, nisi quia ut dictum est, vel non possit, vel nolit conferre quod postulant?

Quod autem verè possit & velit unumquemque ad se verè & sincerè accurrentem adjuvare: audi ut loquitur. *Ego diligentes me diligo: & qui mane vigiliant ad me, irvenient me. Mecum sunt divitiæ & gloria, ut dicam diligentes me & thesauros eorum repleam.* Quod vel ex solo nomine Matris Dei concludunt omnes sancti Patres. Hoc enim nomen meretur ut quidquid petat à filio, non neget filius, *Neque enim fas est,* inquit *matrī Salomon, ut avertam faciem tuam.* At quantò magis id dicit qui plusquam Salomon est pietate & sapientia? Vide in tertia parte in die Assumptionis, quibus addes ex Petro Damiano: *Accedit ad aureum illud divina severitatis tribunal, non rogans sed imperans: domina non ancilla. Quomodo enim potestati tua obviare poterit illa potentia qua de tuis visceribus traxit originè?*

De illius verò bonitate seu benignitate quis dubitet, si Dei matrem ac nostram cogitet? Nam ut mater est Dei, tanta charitate repleta est, quantam illa decet matris dignitas, & quantam esse oportet quæ est omnium constituta mater. At verò tanta charitas posset

ne recusare petenti, quod posset illi dare: cum præsertim id à Deo acceperit ut dispensaret petentibus. Si fidei servo dandam pauperibus dedisses pecuniam, essetne fidelis servus si sibi eam reservaret, neque eam opportunè daret? Et putares de Virgine Matre, quòd non communicet acceptam gratiam, quam idcirco accepit ut illam suis communicet? Vocanda in jus esset, & de tot gratiis compellenda quot negasset. Absit hoc à me vel ut cogitem, Virgo sanctissima, sed tam constanter teneo te non minus esse fidelem in dandis, quàm potentem in accipiendis gratiis, ut malim credere te vocandam in jus esse, quod est auditu absonum, & creditu impium: quàm te fidelem aut benignam non esse. Hoc enim de te audi vi & credidi, quod à tuo scriptum est, fidei servo, quodque velim ab omnibus sciri & credi: *Omnibus omnia facta est: sapientibus & insipientibus copiosissima charitate detritricem se fecit: omnibus misericordia sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi: gnum captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus letitiam, tota denique Trinitas gloriam, Filii persona carnis humana substantiam, ut non sit qui se abscondat à calore ejus.*

*De verbis Apoc. ap. paruit se-*

III. PUNCTUM.

**Q**ui ergo dicunt se non posse, quod iubentur, non possunt dicere sine injuria Virginis Matris; quia non possunt dicere sine offensa ejus potentia & bonitate, quæ duo divina maternitatis insignia sic in illa relucent, ut, quàm certò quisque credit eam esse Matrē Dei, tam verè credere debeat eam esse satis potentem & benignam, ut se in cunctis adjuvet; aut si de hac ejus potètia dubitet, dubitet eam esse Dei matrem, aut Deum ejus filium non eam honorare. Sic planè S. Bernardus sic infert ex ejus electione & assumptione, *Ascendens ergo in altum Virgo beata dabit ipsa quoque dona hominibus. Quidni daret? siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cælorum est, misericors est. Deniq; mater est unigeniti filii Dei. Nihil enim sic potest potestatis ejus seu pietatis magnitudinem commendare: nisi forte aut non creditur Dei filius honorare matrem, aut dubitare quis poterit omnino in affectum charitatis transisse Maria viscera, in quibus ipsa, qua ex Deo est charitas, novem mensibus corporaliter requievit.*

*Serm. 1. de Assumpt.*

Dr. S.

1. Reg. 2.

Velleſne de his ambigere? Velleſne dubitare utrum ſatis bona ſit Virgo Mater, ut, quæ poteſt, tibi conferat: aut ſatis bonus ejus Filius, ut, quàm poſſit illam honorare, non honoret? Nolles ſanè tam impiè, tam ſclerata de utroque ſentire; & tamen quid dicis, quid ſentis, quando te excuſas ab his, quæ tibi in tuo vocationis gradu præſtanda eſſent? Quid tibi vel aliis tunc reſpondeſ? Cur non illum qui occurrit humilitatis, aut patientiæ vel charitatis actum excuſes, & ſpòde modò quid dicas? noñe ſtatim impoſſibile clamitas, noñe ſtatim illud ingeminas, tibi non eſſe ſatis virium, tibi non eſſe ſatis gratiæ? nam alioquin ſi poſſeſ, ſi valereſ cum gratia, cur non facereſ quæ tibi viſes faciènda? Dicendum eſſet neceſſariò, te nolle, te liberum eſſe, tibi non placere; quod cum erubeſcereſ dicere, nil reſtat quàm ut impoſſibilitatem excuſeſ: quod unum & idem eſt, implicite, ut vocant, ac dicere, quod vel non ſit ſatis bona Virgo, quæ te adjuvare velit, vel non ſit ſatis potens ut poſſit. Nam ſi poſſet, nam ſi velleſ, quid eſt cur non poſſeſ? reſponde quid eſt quod non poſſeſ, cum tantum poſſiſ quantum illa tibi,

ſi ejus poteſtatem tibi advocareſ. Quòd autem non tibi advoceſ, non eſt defectus poteſtatis ſed voluntatis ſed fidei ſed pietatis, qui ſanè defectus non minus etiàm injurioſi ſunt beatiſſimæ Virgini Matri, quàm alii de quibus diximus, quia ſic aperte eſt contemnere ejus beneficentiam, ejus patrocinium, ejus ſolicitudinem; & ſuam inimicis animam prodere ac ſalutem.

*Receſſit ab eis omne præſidium.* Actum eſt de illis, noſtri ſunt, ſicut panem ita eos poſſumus devorare. Sic Joſue de Cananæis & Amorrhæis. Sic de te dæmoneſ, ſi non recurraſ ad Mariam. Receſſit à te omne præſidium, actum eſt de ſalute tua, de fide tua, de caſtitate tua, quod unum tenebricoſos illos fugabat hoſtes, præſidium præſens Virginis, hoc illos excitabit dum receſſerit; hoc ſe ſtimulo ſimul concitant ad nos audacius invadendos, receſſit ab eis omne præſidium.

*O quiſquis te intelligiſ!* Vide in Nativitate B. Virginis, & aliis ejus feſtiſ, nec non Feria ſexta primæ Adventus hehdomadæ: & alibi verbo, *Difficultaſ, Saluſ.*

## DE HUMILITATE ET CELSITUDINE Matris Dei, ſimul junctis & ſimul colendis in beata Virgine.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum, Luc. I.

### VERITAS PRACTICA.

Taliſ ſuperbi factuſ eſt, ut ne quidem Dei Matrem veneretur.

*Ratio eſt, quia iſ matrem Dei non veneratur, qui ancillam eam & humilem non veneratur. Sed taliſ ſuperbi factuſ eſt, ut ancillam eam & humilem non veneretur.*

*Ergo neque ut Matrem Dei. Quòd certè vix ulluſ credat ſuperbuſ, aut vix ulluſ ſe ſuperbum credat.*

### I. PUNCTUM.

**H**abet hoc quidem vera humilitaſ & devotuſ animuſ, ut, quòd ait ſanctuſ Petruſ Chryſoſoguſ, *inſuſ beneficiorum cref-*

*cat ad obſequium, augetur ad gratiam, non ad rogantiã proſiliat, non ad ſuperbiam pertu- meſcat.* Sed vera hæc humilitaſ rara eſt arvis in terris, ait ſanctuſ Bernarduſ. Unde & ipſe admirans eam in beata Virgine, *Qua eſt, inquit, hæc tam ſublimiſ humilitaſ qua credere non norrit honoribuſ, inſoleſcere gloria neſcit? Mater Dei eligitur, & ancillam ſe nominat! Non mediocriſ revera humilitatiſ inſigne, nec oblata tanta gloria obliſciſi humilitatem. Non magnuſ eſt eſſe humilem in abjectione, magna proſuſ & rara virtuſ, humilitaſ honorata. Si me miſerum homuncionem, meiſ decepta ſimulationibuſ, ad aliquem vel mediocrem honorem proſexiſt Ecceleſia, Deo nimirum hoc, vel propter mea, vel propter ſubditorum peccata permitteſ, nonne ſtatim obliſiſ qui fuerim, talem me puto, qualiſ*

Num. 14.

Serm. 143  
de Annu.Serm. 45.  
in Cantu.  
Ser. 4. ſu-  
permiſſuſ.Hon-  
per-  
eſt.

qualis ab hominibus, qui cor non vident, putatus sum? Credo sane, conscientiam non attendo, & reputans non honorem virtutibus, sed virtutem honore, eo sanctiorem, quo superiorem a sumo: videas plerisque in Ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus divites factos, subito intumescere, pristina oblivisci abjectionis, genus quoque suum erubescere, & infimos dedignari parentes.

Durum certe & impium, quod hic sanctus Pater postremum ait de contemptis à superbo parentibus, sed quanto magis impium, quod proposita veritate asseritur, ut nec ipsam Christi Domini Matrem veneretur. Eo se scilicet extendit factus superbi, *ut qui non vult beatam Virginem venerari ut ancillam & humilem, nec eam colat & veneretur ut Dei Matrem.* Tanta vanitas quae superbus in tumescit, fortassis erit aptior ad deponendum hoc tam immane vitium, quam proposita ipsius virtutis excellentia, cujus splendorem ne perpiciat, obest tumor mentis.

Perpendenda est itaque diligenter haec prima propositio, quod qui Matrem Dei non veneratur ut ancillam & humilem, nec eam veneretur ut matrem. Quia videlicet maternitas Domini, prout consideratur in beata Virgine, sic conjuncta est cum ejus humilitate, ut nisi Virgo esset humilis humilitate ancillae, non esset Mater Dei. Potuisset quidem non humilis esse Mater Domini, sicut non Virgo & non sancta; Nam, ut ait sanctus Anselmus, *Quamvis de mundissima Virgine Filius Dei conceptus fuit, non tamen hoc ea necessitate factum est, quasi de peccatrice parente, iusta proles nasci nequeverit; quia tamen non id decebat, & quia sic decretum erat, ut non nisi ex Virgine nasceretur dei Filius, verè dici potest, quòd si Maria non fuisset Virgo non fuisset Mater Dei, & qui Mariam non coleret ut Virginem, non eam coleret ut Matrem Dei: sic planè de humilitate & multò magis, si Divum Bernardum audimus, cujus haec sunt memoranda verba: Sine humilitate audeo dicere, nec Virginitas Mariae placuisset. Super quem, inquit, requiescet Spiritus meus nisi super humilem & quietum! Super humilem dixit, non super virginem. Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus sanctus non requiescisset: si super eam non requiescisset, nec impragnasset. Quomodo enim de ipso sine ipso conciperet? Patet itaque quia ut de Spiritu sancto conciperet, sicus ipse*

perhibet, respexit humilitatem ancilla sua Deus, potius quam virginitatem. Et si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Unde constat quia etiam ut placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit. Et paulò post: *Ut igitur quae Sanctum sanctorum conceptura erat pariter & paritura, sancta esset corpore, accepit donum virginitatis: ut esset & mente, accepit humilitatis.* Ex quibus inferas, quòd, quòd sanctitas intus excellentior est & conformior maternitati divinae quam corporis, eò magis humilitas per quam Dei Mater, sancta mente efficitur, conjuncta est cum ipsa maternitate: ac proinde sicut non crederes te venerari Matrem Dei, nisi virginem & sanctam corpore venerateris: quanto id minus credendum est, si non eam colas ut mente sanctam, id est, ut humilem & ut ancillam Domini?

Hoc ipsum idem sanctus Pater valde confirmat in haec Canticorum verba: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es.* *QVÆ- RAMVS,* inquit, *geminam animam pulchritudinem, hoc enim mihi videtur innuere. Decor anima, humilitas est. Non à me ipso hoc dico, cum Propheta prius dixerit: Asperges me hyssopo & mundabor, humili herba & pectoris purgativa, humilitatem significans. Hac se post gravem lapsus Rex & Propheta lacuari confudit, & sic novum quendam innocentiam recuperare candorem. Verum in eo qui graviter peccavit, est amanda non tamen admiranda humilitas. At si quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem jungit, nonne is tibi videtur geminum anima possidere decorem? Sancta Maria sanctimoniam non amisit, & humilitate non caruit, & ideo concipit Rex decorem ejus, quia humilitatem innocentiae sociavit.*

Jam verò si humilitatem illam tollas, nonne ejus tolles decorem? Nonne id tolles quod pertinet ad Deum ut eam sibi eligeret in Matrem & Nutricem? Nonne id tolles sine quo non esset Dei Mater? Ac proinde nonne vides sic ejus humilitatem esse conjunctam cum divina maternitate, ut nisi fuisset humilis non magis fuisset Mater Dei, quam si decora & innocens non fuisset.

O admirabile commercium tam excelsae simul humilitatis, & tam profundae celsitudinis! quis tam audax & impius qui tam pie juncta & connexa velit dissolvere?

II. PUN-

I. de Corpore Virg. 6. 38.

Rom. 1. super missus est.

Ib. h. 20

Serm. 45. in Cant.

## II. PUNCTUM.

**S**ed superbus ancillam eam, & humilem non veneratur.

Nam cum duo sint ad cultum & venerationem personæ necessaria, unum ex parte venerantis, & id æstimet quod veneratur; & aliud ex parte personæ cui cultus & veneratio exhibetur, nempe ut gratam & acceptam habeat talem venerationem: duo illa defunt ex utraque parte.

Primum quidem ex parte superbi, non æstimat humilitatem & demissionem; nam si eam æstimaret & coleret, superbus non esset, imò superbiam ita detestaretur sicut humilitatem coleret, cum sint contrarii contrarium affectus & effectus: unde ex opposito fit, ut, quando quidem superbus est, humilitatem planè abominetur. Sic enim expressè Sapientis: *Abominatio est superbo humilitas*, quod certè est magis emphaticum & expressum, quàm si diceretur, superbo humilitatem abominatur, sic enim abominatur ut ne nomen ejus ferre possit.

Quod si dicas, superbum quidem in se abominari humilitatem seu humiliationem, non tamen ita in aliis, imò eam suspicere & venerari. Nihil dices, nihil oppones; nam quid est venerari beatissimam Virginem ut ancillam Domini? Non est tantum æstimare ejus humilitatem, sed est eam tanti æstimare, ut te illi planè subjicias. Hoc est enim in genere seu generatim loquendo de cultu beatae Virginis, qui dicitur Hyperdulciæ cultus, id est, debitæ supra sanctos alios servitutis, hoc est eam venerari & colere, si te illi subjicias quocunque id modo fiat. At verò eam venerari ut ancillam, singularis quædam estratio cultus, qua te illi subjicias ut humili & ancillæ, quod non fit tantum per externas quasdam demissiones corporis, neque per internos animi motus, quibus te illi totum mancipis & submittas: sed per verum & realem affectum, quo ejus humilitatem in te æstimes, in te colas, & pro viribus imiteris. Quod eò vel maxime verum est cum ipsa considerata ut humilis, nihil aliud magis amet, nihil suggerat, nihil suadeat, nihil præcipiat & commendat vehementius, quàm ne superbias, quàm ut humilieris, quàm ut aliis credas, quàm ut injurias patienter toleres, quàm ut te infimum reputes. Hæ sunt ejus viæ, viæ salutis quas

docet custodiendas, hæc est disciplina qua suos erudit ut totes ex Sapiente audivisti, *Nunc ergo filii audite me: beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abjicere eam.* At nonne hæc sunt, quæ in primis odit & detestatur superbus? quomodo ergo illam audiet? quomodo illi obsequetur! quomodo illi se subjiciet; ac denique quomodo illam colet & venerabitur ut ancillam, cum venerari nihil sit aliud quàm illi obedire? *Quomodo dicitis quoddam amas me, cum animus tuus non sit mecum?*

Atque hinc aliud patet quod est ex parte ipsius Virginis, ut est humilis ancilla Domini, quàm parum ipsi grata & accepta esse possit superbi veneratio, quæcunque tandem illa sit. Nam ut est humilis, non minus detestatur superbiam quàm superbus humilitatem. Sic enim apud eundem Sapientem sub nomine Sapientiæ, *arrogantiam*, inquit, & superbiam, & *viam pravam*, & *os bilingue detestor*. Neque id tantum in se, sed in aliis atque detestatur, unde aliqua versio habet, *arrogantem & superbium detestor*. Sicut cum Deus dicit: *Detestor ego superbiam Jacob, & domum ejus odi*: sic illa; detestor ejus superbiam qui me colit; nihil enim commune superbo & humili. *Si quis est parvulus*, inquit, *veniat ad me*: quasi diceret, ne clarus ne superbus veniat, quia nihil mihi cum illo est: sic in suo Cantico postquam de humilitate sua egit; tùm in superbos, *fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui, deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles*. Adde quod cum, ut vidimus, hoc unum præcipuè ancilla Domini à suis cultoribus exigit, ut se humiliet sui exemplo; quidquid aliud præstent, quidquid gratum illi esse potest cum id negatur, quod sibi magis esse gratum significat? *Quis quasivit hæc de manibus vestris?* quidquid dicant, quidquid orent, non exaudiam: *Os bilingue detestor* simul cum superbia, id est, superbum mihi loquentem humilia, & superba cum aliis loquentem & agentem. Nonne tu sic bilinguis es?

## III. PUNCTUM.

**S**uperbus igitur qui Matrem Domini non veneratur ut ancillam, nec veneratur ut Matrem: quia sicut non fuisset Mater Domini nisi ejus ancilla fuisset, sic planè non colatur ut Mater Domini, nisi ut ejus ancilla colatur æque

neque ut ejus ancilla coletur, nisi sic ametur ejus humilitas, ut reipla & ipsius actibus exerceatur ab eo, qui se dicet eam venerari; quod tam repugnat superbo, ut esse superbus destinat si se ita humiliet, aut nisi se ita humiliet, nunquam humilitatem coler, neque humilem ancillam Domini, neque sublimem venerabitur Domini Matrem.

Sap. 15.

O quam verè dictum à sapiente: omnes insipientes & infœlices supra modum anima superbi! Quid enim insipientius quam putare se superbū humili posse placere Deiparæ! Quid infœlicius quam ei nolle placere, cum possis, si deponas superbiam! Quid insipientius & infœlicius quam dum contendas te illi placere, magis in te concites ejus odium & execrationem provocas; atque inde consequentes infâstos casus! Neque enim humilis ancilla Domini aliter odit & detestatur superbū, quam eū à se repellendo nec quomodo libet communicando. Non est odium in affectu sensibile sicut in nobis est, adversus odiosos: sed est odium in effectu; id est, ita se gerit adversus superbū, sicut in adversarium & odiosum; neque tantum non acceptat ejus cultum & preces; sed odit quodammodo ac detestatur.

Estne verò quidquam insipientius & infœlicius? quid facies averſa virginis, à qua omnis respectus intereat, necesse est: sicut ab illa omnis aspectus impossibile est ut pereat? Recole quæ supra dicta sunt in hanc sententiam, & sanctum audi Bernardum, ubi post multa de virginitate & humilitate sanctissimæ matris: Si non potes, inquit, virginitatem humilis, imitare humilitatem Virginis. Laudabilis virtus, virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur, ista præcipitur: ad illam invitatis, ad istam cogoris: de illa dicitur, qui potest capere capiat; de ista dicitur, nisi quis efficiatur sicut parvulus iste, non intrabit regnum caelorum. Illa ergo remuneratur, ista exigitur:

Rom. 1. 21. per missus est.

potes denique sine virginitate salvari, sine humilitate non potes.

Et paulo post: Quid dicis virgo superbes? Maria Virginem se oblitâ, gloriatur de humilitate, & tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate! Respexit, ait illa, humilitatem ancilla sua: Quæ illa? Virgo utique sancta, virgo sobria, virgo devota: nunquid castior illa? nunquid devotior? Aut nunquid tua sorte pudicitia gratior castitate Maria, ut tu scilicet sine humilitate placere sufficias, ex tua, quod illa non potuit ex sua? Denique, quanto honorabilior es ex singulari munere castimonie, tanto tibi tu majoræ injuriam facis, quod ejus in te decorem fœdas permutatione superbia. Vide quæ plura hic habet & expende, quod si virgini tam necessaria est humilitas, & tam cavenda superbia, quid impuro? quid impio?

Propterea sic ille idem alibi aptè. Ergo beati qui custodiunt vestimenta sua munda, videlicet simplicitatis & innocentia, si tamen & decorem induere humilitatis adiciant. Profecto audiet quæ hujusmodi invenitur: ecce tu pulchra es amica mea. Utinam vel semel dicas anima mea, Domino Iesu, ecce tu pulchra es. Utinam mihi humilitatem custodias, nam primam vestem ego male servavi. Servus tuus sum ego, nec enim audeo profiteri amicum, qui testimonium decoris mei cum repetitione non audio. Sufficit mihi si semel audiam. Sed quid si hoc in questione sit? Scio quid faciam. Venerabor amicum servus, cumulatam in ea decoris deformis homunculus admirabor, gaudebo ad vocem sponsi tantam nihilominus pulchritudinem admirantis. Quis scit si saltem ex hoc inventurus sim gratiam in oculis amica, ut gratia ipsius & ipse inveniar inter amicos? Sic nempe inchoanda est humilitatis praxis, apnoscendo se superbū, & sese humiliando quod non sis humilis. Humiliemus illi animas nostras. REVERTERE ad Dominam tuam & humiliare sub manu eius.

Serm. 45. in Cant.

Judith 8. Gen. 16.

## DE PRÆCEPTO QVOD ACCEPISSE Ait Virgo Deipara ut inhabitaret in Iacob.

Tunc præcepit & dixit mihi Creator omnium. Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi: in Iacob inhabitata, & in Israel hereditare, & in electis meis mitte radices. Ec. 24.

Haynesvvs Pars 2.

Hhh

VERI-

## VERITAS PRACTICA.

Qui præcepit & dixit B. Virgini ut inhabitaret in Jacob, tibi simul præcepit & dixit, ut quantum velles illam in te habitare, tantum esse velles alter Jacob.

**RATIO** est, quia quando Deus alligavit finem certis quibusdam mediis, tunc dicitur ita præcepisse media, ut quantum quis vellet finem, tantum velle deberet media.

Sed cum præcepit Beata Virgini ut inhabitaret in Jacob, sic finem alligavit medio, ut non aliter in quoquam Virgo habitaret nisi qui vellet esse ut Jacob.

Ergo tibi simul præcepit & dixit, ut, quantum velles illam in te habitare, tantum esse velles alter Jacob. Quod certè motivum est efficax ad inquirendam & exprimendam similitudinem vite & morum cum antiquo illo Patriarcha.

**V**IX intelligi potest ratio nisi quibusdam ante prænotatis, quæ si vel breviter proponantur, ita evidenter patebit ratio, ut hic aliud non sit opus quam prænotanda illa paulis attingere.

*Ecol. 9.*

Primum est quod licet nemo sciat, utrum amore an odio dignus sit, utrum salutem prolequatur æternam, aut ab illa forte excidat: tamen ut cum gratia provocemur vehementius ad capefcendam salutis viam, certa quædam ejus impressa sunt vestigia, ut quemadmodum ait S. Bernardus & alibi infra fusius exponitur, electis consolatio ministratur, & subtrahatur reprobis excusatio. Cognitis siquidem signis vite, quisquis hæc negligit, manifeste convincitur in vano accipere animam suam, & pro nihilo habere terram desiderabilem, comprobatur.

*Mat. 1.  
Rom. 9.*

Secundum est, quod signa hæc præluxerunt in antiquo illo Patriarcha seu Patriarcharum Judæorum duodecim Patre, qui dicitur esse Jacob & Israel, filius Isaac & frater Esau, unde est illud apud Prophetam & Apostolum, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, quod primò quidem dictum est de illis duobus fratribus, ac eorum posteris, quantum spectat ad majorem curam quam Deus prætulit habere de Jacob & de Judæis potius quàm de Esau & de Idumæis qui ab hoc descenderunt. Deinde verò translatum est ad electos & reprobos, qui hoc ipso designantur tales esse, quo ad diversos mores Jacob & Esau vi-

dètur propius accedere, de quibus paulo post.

Tertium observandum est, quod cum Beatissima Virgo Deipara hoc inter alia singulare privilegium habuerit, ut singularem electorum curam susciperet, idcirco illi dictum esse *ut in Jacob inhabitaret*, id est, in illis qui similitudine morum Patriarcham Jacob exprimerent, imperium & dominationem exerceret, ut eos regeret, & dirigeret quemadmodum Rebecca Jacob: atque illi etiam præcipuo quodam pietatis cultu moverentur in Sanctissimam illam Virginem velut in suam Matrem, ac futuræ salutis parentem optimam: sicque ille mutuus pietatis sensus quo & mater filios & filii matrem prosequerentur, esset quædam beata radix æternitatis, sicut gratia dicitur semen futuræ gloriæ. *Et in electis mitte radices.*

Quartum, quod advertas, est, sic dictum esse B. Virgini ut simul etiam præceptum fuerit inhabitare in Jacob. *Tunc præcepit*, inquit, *& dixit mihi*, hoc est, sic decretum est apud Deum, sic firmum fixumque est, ut in similibus Jacob inhabitantem, tanquam si præceptum esset impositum, cui observandum proinde sic affecta sum ut mihi non liceat in aliis inhabitare. Aut Jacob similes inveniam oportet aut faciam, præceptum est & non præteribo.

Quintum, quod propius Veritatem propositam spectat, hinc planè sequitur, quod quantum quis velit in te sanctam inhabitare Deiparam, tantum oportet ut velit esse alter Jacob, quia talem illa non faciet nisi volentem: & qui talis esse noluerit, nunquam in eo Dei Mater inhabitabit. Quod ut firmius apprehendatur, dicitur etiam esse simul præceptum cuicunque volenti hanc sanctam Virginis curam & inhabitationem, ut le vita & moribus velut Jacob exhibeat. Nam est quoddam veluti medium sic à Deo institutum ad illum finem consequendum; quandoquidem non potest aliter Virgo in quoquam habitare qui talis esse nolit. Sicut cum præceptum est Apostolis ut neminem nisi baptizatum & poenitentem absolverent à peccatis, simul etiam præceptum est omnibus qui absolvi cuperent, ut baptizari vellent & poenitere; cū aliqui illi aliter nullos possent absolvere. Sic planè cum præcipitur B. Virgini ut in Jacob inhabitet, præcipitur etiam omni volenti hanc inhabitationem ut velit esse Jacob, quia medium quoddam est ad illam inhabitationem

veniam



nem, sicut baptisma & poenitentia ad peccatorum absolutionem. Certum est autem quod quando Deus sic fines aliquos certis quibusdam mediis atexit, tam necessarium unicuique præcepit illa media, quam quilibet volet illos fines.

Denique quod sextum & postremum est ad praxim in primis opportunum, restat inquirere, qualis fuerit Jacob, quinam ejus diversi à suo fratre mores, quæ nobis cum illo similitudo vel discrepantia.

Gen. 25.

Septem ex Scripturis colliguntur differentiarum morum utriusque fratris, quarum prima his continetur verbis; *Factus est Esau vir gnavus venandi & homo agrico*, *Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis*. Id est, quantum unus sese foras effundebat, tantum alter sese domi continebat. Magna certe & notanda diversitas.

Hebr. 12.

Secunda est, quod Jacob erat pius ut pater ex multis ab erectis altaribus; Esau autem profanus ab Apostolo dicitur. *O quantum utriusque intervalum.*

Gen. 26.

Tertia, Jacob erat pudicus quantum illa ferebant tempora, neque unquam de conjugio cogitavit nisi ex parentum consilio & justificatione. Esau vero duxit uxores, quæ amba offenderant animum Isaac & Rebecca, unde & fornicatorem eum vocat Apostolus.

Hebr. 12.

Quarta, Jacob suis animi vacabat temperandis appetitionibus, ut apud Labanum loceretur & sæpe alias paruit; Esau vero suis indulgebat intemperantiis, unde & arguitur, quod *propter unam escam primitivam suam vendiderit.*

Gen. 27.

Quinta, licet Esau cogitaret interdum de divinis & cælestibus: rarus tamen, secundariæ quodammodo erant illius curæ, cum longè magis addictus esset caducis bonis cumulandis: Jacob vero etsi bonis abundaret, non hæc erat tamen ejus prima, & præcipua sollicitudo circa hæc bona sibi comparanda, sed potius ut bonorum Parentem omnium coleret, à cujus nutu totus pendebat. Quæ quidem differentia videtur apertè comprehensa in diversa benedictione quam à patre Isaac, uterque legitur accepisse. Sic enim dictum Jacob, *Dei tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terra abundantiam frumenti & vini*: Esau vero; *In pinguedine terra & in rore cæli desuper erit benedictio tua*. Nulla hæc mentio Dei; Et de rore cæli pronuntiatur post pinguedinem terræ, cum è contra Jacob, nihil de terra di-

cum esset nisi post rorem cæli à Deo dandum, quasi diceretur, quod uni primum est, postremum est alteri; qui primus est in mente Jacob cultus Dei, postremus est in Esau. Non propter bona, Deum Jacob colit, sed quia Deum colit, bona consequitur. Esau vero ut bene sibi sit, Deo supplicat, non tam Deo quam sibi servit. Videlicet disparitatem vitæ?

Sexta, si forte peccasset Jacob, poenitebat eum sui delicti, redibat statim in gratiam cum Deo, & cum hominibus, frequenterque illud ore usurpabat. *Erit mihi Dominus in Deum*. Esau vero post grave crimen admissum, abiit parvipendens quod primogenitum vendidisset, & tamen videretur aliquando resipiscere, non invenit tamen poenitentia locum, ait Apostolus. Quod certè multis accidit.

Septima denique: Jacob suorum talem habebat curam, ut omnes in divino cultu contineret. *Abiit Deos alienos qui in medio vestri sunt*. Esau vero de his tam parè sollicitus fuit; ut ejus posterii statim à verò Dei cultu defecerint: *Ipse est Esau pater Idumæorum*, inquit Scriptura, quasi diceret, parens eorum qui nominati sunt inter infideles. O quantum ab uno in multos boni vel mali derivatur!

Hic est itaque vitæ & morum diversus character, qui Jacob ab Esau, qui electos à reprobis, & qui Parthenicos ac veros Virginis Matris cultores à falsis certè discriminet. Quam quisque castus, simplex, sibi vacans & aliis ornatus erit virtutibus, quas in Jacob spectavit, tantum erit apud illam in gratia, & tantum certitudinis ac firmitatis obtinebit ad æternam salutem consequendam. Non illa sine virtutibus, sed nec virtutes sine illa. Sicut nempe parant illi ad tempus in mente nostra virtutes habitaculum, sic parat illa virtutibus & menti nostræ sempiternum in cælo domicilium. Non staret cultus Beatæ Virginis sine virtutum præsidio, sed neque virtutes consisterent, aut satis valerent apud Filium, nisi cultus accederet sanctissimæ matris. Hac insignitæ notæ virtutes, tantam supra cæteras referunt dignitatem, quanta prope est ipsa Mater super alias creaturas. O pondus virtutis & precium, quanta est ipsa dignitas divinæ Matris!

Quamobrem etsi alia non adesset virtutum commendatio, singulari tamen hoc nomine, quo nobis gratiam Beatissimæ Virginis de merentur, singulariter à nobis essent colendæ, non modò quia inde plus nobis referunt meritum

& valoris; sed quia nos inde etiam plus adhibemus animi ad roborandas virtutes, quæ tantæ Matri offerantur & placeant. Neque enim illa minutis virtutibus delectatur sed veris & solidis, non ore, non suspiriis, non hic fufus dantaxat precibus exoratur, sed generoso conflictu cum vitiis, sed constanti castitatis cura, sed in victa salutis comparandæ sollicitudine: cum alioquin nisi precibus adjungantur opera, *Vox quidem vox Iacob est, sed manus manus sunt Esau.* In die Virginis sacro, vox quidem vox Iacob est, sed in aliis diebus, manus manus sunt Esau. In templo quidem vel dum orat, vox Iacob est; sed dum alius vacat mu-

Gen. 27.

Die 2.  
Aprilis.

## DE SANCTO FRANCISCO DE PAULA.

FUNDATORE ORDINIS MINIMORUM.

Ego Minimus in domo Patris mei. Iudicium 6.

VERITAS PRACTICA.

Hic erit verè maximus, qui verè est minimus.

*RATIO EST, quia qui maximam in hac vita gratiam seu charitatem, & parem in alia gloriam consequetur, Hic erit verè maximus. Sed qui verè est minimus, maximam gratiam & gloriam consequetur. Ergo hic erit verè maximus.*

I. PUNCTUM.

**Q**UÆ duæ sunt in domo Domini seu in Christiana familia maximè commendatæ virtutes, humilitas & charitas, ea ambæ præ cæteris eminent in sancto Francisco de Paula, Fundatore sanctissimi Ordinis PP. Minimorum. Humilitas quidem tanta, ut se suosque omnium MINIMOS & dici & esse veller: Charitas verò tam sublimis ut unum Deum respiraret, unum cum ab omnibus diligendum veller, unam charitatem in ore haberet, in corde gestaret & in opere exerceret. Hæc videri possunt fufus in eius vita, indeque collegi quo sanctitatis & gloriæ pervenerit, eum gloria respondeat charitati, sive gratiæ, & gratia humilitati, unde eruitur hæc universalis veritas valde practica & valde ex-

neribus, manus sunt Elau.

Perge ulterius hanc prosequi perversitatem, & ingemisce tuis animi desultoriis levitatibus. *Vir duplex animo inconstans in omnibus Iac. 1. viis tuis.* Vide potius ne dimittas legem Matris Prov. 1. tua.

Vide in 3. parte, Die 24. Iunii, ubi ad hæc verba quæ in nativitate S. Ioannis Baptistæ dicebantur, *Qui putas, puer iste erit, hæc exhibetur veritas.*

Sicut prima & puerilis ætas index est securitæ vitæ præsentis: ita hæc vita præfens iudicium est futuræ post æternitatis.

pendenda: *Hic erit verè maximus qui verè est minimus.*

Ratio quæ afferitur est evidens quoad omnes suas partes, nec tanta eget probatione ad intellectum, quanta cõsideratione ad voluntatè & affectum. Quid enim clarius ex principiis nostræ religionis quàm quod prima propositione dicitur, qui maximam in hac vita gratiam seu charitatem, & parem in alia gloriam consequetur, hic erit verè maximus? Nam cum vera magnitudo rei alicujus sit in commensurata proportione ad suam regulam, moralis autem nostræ magnitudinis nulla sit alia regula certior quàm charitatis & gratiæ sanctificantis pro hac vita, & gloriæ beatificæ pro alia; certè qui plus hinc gratiæ & plus in celo gloriæ consequetur, hic divino & humano iudicio dicitur major. *Sic inter natos mulierum non est major Ioanno Baptista, quia nullus est gratia sanctior. Sic excellentiorem dicit Apostolus viam charitatis, quia nihil est excellentius ad promerendam gloriam, cuius semen est gratia, & via certa charitas. Sic denique patris sanctus Augustinus, quod tota subtilissimè quanta quanta est scriptura, continetur ille tenet, & quod patet & quod latet in divinis eloquiis, qui charitatem tenet in moribus. Hinc ille aptè qui orabat, o veritas Deus, fac me unum tecum in charitate perpetua.*

Incipit

L. 1. de Tadet me sape multa legere & audire, in te est totum quod volo & desidero. 3

melius est ut dicatur tibi ascende huc, quam ut humiliteris coram principe? SUPERBVM sequitur humilitas, & humilè spiritu suscipiet gloria.

Prov. 25. Ibid. 29.

II. PUNCTUM.

III. PUNCTUM.

SED qui verè minimus est, maximam gratiam & gloriam consequetur. Verè minimus dicitur, qui exemplo sancti Francisci se infra omnes alios demittit, qui quo plura & maxima bona facit, eò se magis etiam humiliat, quia se Deo videt magis obstrictum, & cum tam multas recipiat gratias, quibus forte alius fidelius uteretur, timet sibi ab ingratitude & negligentia; qui denique quæ Dei sunt, Deo reddit, nempe gloriam & honorem totius boni, sibi autem, quæ sua sunt, perpetuò repræsentat, nempe nihilum & peccatum, dicitque cum Propheta Daniele: Tibi Domine iustitia nobis autem confusio faciei.

ERGO hic erit verè maximus, qui vere est minimus.

Quia hic maximam assequetur gratiam & gloriam in quibus vera est magnitudo. Erunt novissimi primi, & primi novissimi. Sic HONORABITUR quemcumque voluerit Rex honorare. Vult autem humilem & solum humilem. Sola est humilitas qua exaltat, inquit sanctus Bernardus, sola qua ducit ad vitam: qui aliter vadit, cadit potius quam ascendit. O perveritas, o abusus filiorum Adam, quia cum ascendere difficilem sit, descendere autem facillimum, ipsi & leviter ascendunt, & descendunt difficilius, parati ad honores, ad celsitudines graduum Ecclesiasticorum ipsi etiam Angelicis humeris formidandas. Sic & graviter sanctus Basilius: Hac est hominis sublimitas, hac gloria & magnificentia, verè cognoscere hoc, quod magnum est & illi conglutinari, ac gloriâ à Domino gloria querere.

Matt. 20. Esther 6.

Serm. 2. de Asc.

Hom. de Humil.

Lib. 10. Epist. 84. ad Demet.

Talis autem maximam consequetur gratiam & gloriam, quia sic Deus exaltat humiles, ut promisit; sicut enim Deum maxime honorant humiles, ita eos Deus, ut habet Sapiens: Quando magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. Sic aptissimi sunt ad Dei dona recipienda, quia seipsis vacui non ad inanem gloriam, non ad propriam commoditatem & jucunditatem, sed ad unam Dei gloriam, illa recipiunt & referunt. Deus enim cum sit ex se propensissimus ad dona sua conferenda, hoc uno impeditur nobis ea cõferre largius, quòd iis abuteremur, unde quo humiles procul sunt ab illo, gratiarum abusu eò propius disponuntur ad earum receptionem. Refugit natura vacuum in quo nihil operatur: At gratia, qua non sunt, eligit, ut qua sunt destruat. NON solidum sed inane & cavum intrinsecus facies illud, sicut in monte monstratum est, nempe altare. Sic Denique præcessit in Capite ut quantum te humiliavit Dominus, tantum & exaltatus fuerit, unde necesse est, ut id sequatur in membris, quemadmodum ipse toties in Evangelio dixit: Volo ut ubi ego sum, illic sit & minister meus, qui scilicet mecum fuerit humiliatus, mecum erit in gloria. Unde Apostolus postquam de humiliato Christo Iesu: Propter quod, inquit, & Deus exaltavit illum. Et alibi: Eum autem qui modico quàm Angeli meratus est, videmus Iesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum. SIC ponit humiles in sublime. Nonne

De necessaria verò conjunctione charitatis & humilitatis sic præclare sanctus Ambrosius, postquam ex Apostolo retulit charitatè esse patientem, non inflari, non esse ambitiosam; Inflatio ergo, inquit, & ambitio possunt destruere charitatem, possunt evacuare martyria: huic autem ruine nihil subvenit, quia aut difficile peccatum suum superbus agnoscit, aut etiam si intellexerit non currit ad medicum. Hunc autè pestilentia flatum spiritus vera humilitatis & vera charitatis excludit. In nullo enim hæc virtutes ab invicem dividuntur, & ambarum tam indifferetæ connexio est, ut, qui in una earum construitur, simul utraque potiat. Sicut enim parens charitatis est humilitas, ita parens humilitatis est charitas. Et si illa recolamus qua sine bono charitatis infructuosa esse Apostolus destituit, invenimus eadem similem habere charitatem, si eis humilitas vera defuerit. Quom enim fructum habebit aut cum inflatione scientia, aut cum humana gloria fides, aut cum jaclantia largitas, aut cum elatione martyrium?

Hæc fructuosè omnia, sed illud aptissimè, quod ait unum quodammodo totum constari ex duabus partibus, charitate & humilitate. Illudque est, quod scripsit sanctissimus Cebennensis Episcopus, humilitatem nihil esse

Dan. 9.

Eccles. 3.

I Cor. 1. Ex. 27.

Vide Ephes. 4.

Joan. 17.

Hebr. 2.

Job. 5.

nisi charitatē demissam, sicut charitas est ipsa humilitas exaltata. Sicque in sancto Francisco de Paula rectē utramque virtutem sic ad unam reduxeris, si dicas humilitatem ejus nihil nisi charitatem nihil nisi ipsam humilitatem impletam & ascendentem. *Vade & pe-te tibi vasa vacua non pauca*, qua sacra replentur oleo. *Spiritus vobis & vitam reddet sicut nunc vosmetipsos despiciitis. SVSCIPIAT de pulvere egenum & de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus. QVIA hac dicit excelsus & sublimis habitans aternitatem & sanctum*

nomen eius in excelsis & in sancto habitans & cum contrito & humili spiritu: ut vivificet spiritum humilium, & vivificet cor contritorum. divina planē verba.

Vide plura passim de humilitate, ac præserim in hac 2. parte, hebdomada 4. Quadragesimæ, Ubi hæc inter alias sat conformis jam expositæ veritati veritas demonstratur:

Quò quis inferior est in ordine hominum, eò superior est in Christi ordine.

Die 25.  
Aprilis.

## DE SANCTO MARCO EVANGELISTA.

*Similis factus est Leoni in operibus suis. 1. Macch. 3.*

### VERITAS PRACTICA.

Fortioris est animi, non vinci à bonis blandientibus, quam ipsa vincere mala terrentia.

**RATIO EST**, quia ubi reperitur major conflictus & difficultas, tum fortioris opus est animi. Sed major est conflictus & difficultas cum bonis blandientibus quam cum malis terrentibus. Ergo fortioris est animi, non ab illis vinci quam ista vincere. Quod tamen pauci putant.

### I. PUNCTUM.

L. 1. contra Iovinianum.

**N**ON frustra sanctus Marcus comparatur Leoni, neq̄ propter eam tantum causam quam refert sanctus Hieronymus, quia suum Evangelium inchoat à voce Clamantis in deserto, parate viam Domini rectas facite semitas eius; sed quia, ut dicitur de Iuda Machabæo, *Similis factus est Leoni in operibus suis*. Fuit enim excelsus & generoso animo in superandis quibusvis difficultatibus: quod vel maximè patuit in ea vitæ forma quam Alexandria instituit & omnibus Christianis servandam persuasit, ut refert idem sanctus Hieronymus. *Assumpto*, inquit, *Evangelio, quod ipso consecerat, porrexit in Egyptum & primus Alexandria Christum annuntians, constituit Ecclesiam tanta doctrina & vita continentia, ut omnes Sectatores Christi ad exemplum*

L. de script. Eccles.

sui cogeret. Denique Philo disertissimus Iudaorum videns Alexandria primam Ecclesiam adhuc Iudaizantem, quasi in laudem gentis sua librum super eorum conversatione scripsit. Et quomodo Lucas narrat Ierosolyma credentes habuisse omnia communia, sic & ille quod Alexandria sub Marco fidei Doctore cernebat, memoria tradidit.

Hoc ipsum Cassianus Collator sic religiosè commemorat. *Qui à beata memorie Evangelista, qui primus Alexandria urbi pontifex præfuit, normam suscipere vivendi, non solum illa magnifica retinebant, qua primitus Ecclesiam, vel credentium turbas in Actibus Apostolorum legimus celebrasse, multitudinis scilicet credentium erat cor unum, &c. verum etiam his multò sublimiora cumularant; etenim secedentes in secretiora suburbiorum loca, agebant vitam tantò abstinentie rigore distractam, ut etiam his, qui erant religionis externa, stupori esset tam ardua conversationis eorum professio.*

Hoc igitur tam arduum vitæ institutum ut agrederetur sanctus Evangelista, ut proponeret, ut persuaderet suis, & ad scèlicem tandem exitum perduceret, nonne oportuit eum generosam Leonis indolem esse imitatum. *Qui, ut ait Sapiens, ad nullius parvit occursum? Quot enim difficultates, quot pericula, quot obices nò occurrerunt contra tale propositum: quæ omnia in victus Marci animus superavit: Ipsa certè vivendi ratio, cujus erat Author aut certè promotor & exemplar, cum tota fuerit in conti-*

2. In sit. c. 5.

Prov. 30.

continentia & iis humanæ vitæ bonis abdicandis, quibus carere difficillimum est, non aliter transigi potuit, quam per continuatos fortitudinis actus, qui longè insigniores sunt omnibus aliis qui ex hac virtute procedunt.

Hinc nata veritas valde expendenda, *Quod fortioris est animi non vinci à bonis blandientibus, quam ipsa vincere mala terrentia.* Et quidem ratio facilis quoad illam primam partem, qua dicitur quando conflictus & difficultas est majorum majoris & fortioris esse argumentum animi, si non vincatis, quam si minor esset difficultas. Sic enim vel ad acueendam fortitudinem ante certamen excitamur, propositis hostium viribus, quemadmodum his nos urget Apostolus. *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in coelestibus;* Unde inferit, propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo. Vel quando pugna peracta est, sic victorum virtus illustrius commendatur, quod plures & robustiores dejecerint: Quod trecenti milites Gedeonis, multa hostium fregerint millia: quod unus Samson in maxilla asini, in mandibula pulli asinarum, ut ipse aiebat, deleverit & percussit mille viros in se irruentes: quod puellus David prævaluerit adversus Philistæum illum Gygantem in funda & lapide: quod nos denique potestates omnes & spirituales nequitias, si volumus, pervincamus. O quanta fortitudo sic posse, o quanta ignavia sic nolle vincere!

## II. PUNCTUM.

**S**ED major est conflictus & difficultas ne vincaris à bono sensibili & blandienti, quam ut vincas mala terrentia.

Bona illa sensibilia sunt, pecunia, possessiones, delectationes, honores, dignitates & quecunque appetitum concupiscibilem movent; quæ quia movent illum vehementissimè, tædus est in his motibus reprimendis labor, ut paucissimos reperias qui libidinè verè reprimant, unumque illud allegant, quod sit difficultius. Hæc nempe est arcta via quam pauci tenent; contra verò spatiosa & lata via quam cæteri omnes percussunt. *Beatus dives, inquit Sapiens, qui inventus est sine macula, & qui post mortem non abiit, nec speravit in pecunia & the-*

*sauris: quis est hic & laudabimus eum?* Quasi dicat rarissimus est, sicut & qui non sectetur honores & quas potest vitæ delicias. *Omnes enim, ut ait Propheta, conversi sunt ad cursum suum: quasi equus impetu vadens ad prælium.* Hæc est caro quæ concupiscit adversus spiritum. Hæc sunt carnalia desideria quæ militant adversus animam. Hæc est denique militia & tentatio vitæ hominis super terrâ. *Inter omnia certamina Christianorum, inquit S. Augustinus, sola sunt ista prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, & rara victoria. Gravem namque sortita est castitas inimicum, cui quotidie resistitur & semper timetur.*

In sustinendis & vincendis quidem malis ut est morbus, paupertas, frigus, fames & similia, non desunt ceterè difficultates, sed rariores sunt casus, & hi sunt ita necessarii quando occurrunt, ut vix aliter possint expugnari quam sustinendo; sicque necessitas facile in virtutem commutatur, & eò etiam facilius quo manifestè patet hanc esse Dei voluntatè ut sustineamus; quandoquidem nullum est aliud mali remedium. *Sustine sustentationes Dei, coniungere Deo & sustine, ait Sapiens.*

At verò in continendis bonis sensibilibus, non ita rari sunt casus, neque rari conflictus sed quotidiani & ordinati, ut qui carni adhæreant nec à nobis disjungantur; nò est etiã illa physica & naturalis necessitas iis continendi, quæ est sustinendi mala; nam quisque pro arbitrio, licet malè agat, liberè tamen potest vel cogitare vel concupiscere vel quovis modo suis indulgere cupiditatibus; unde à Sapiente quaeritur, *qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit, quia scilicet tam tarus est, ut vix unus aut alter inter sæculares reperiat. Est ergo conflictus & difficultas longè major ne vincaris ab his bonis quæ ita demulcent & alliciunt, ut tantum absit quod expugnentur, quin potius exquiruntur, & nitro se abjiciunt & se provocant homines ad ea consecranda, tanquam ad unum suæ vitæ bonum: Venite, fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter. Vide quæ sequuntur & ingemisce, vel quod ex illis sis, vel quod, ut ait Apostolus, in quibus & nos omnes aliquando conversati sumus, in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationem.*

## III. PUN

Ephes. 6.

Jud. 15.

1. Reg. 15.

Matth. 7.

Eccles. 31.

Ier. 8.

Job. 7.

L. de Hon. mul. c. 2.

Eccles. 2.

Eccles. 31.

Sap. 2.

Ephes. 2.

## III. PUNCTUM.

**F**ortioris est igitur animi non vinci à bonis blandimentibus quam ipsa vincere mala terrentia. Hoc est enim seipsum vincere, quod est certamen difficillimum, hoc est certamen forte, quod Deus permittit sanctis, ut vincant & triumphent. Hinc est illa virtus qua in perpetuum coronata triumphat, incoquinatorum certaminum primum vincens. Hoc fusc & differtè sancti Patres, quorum gravissimis verbis non modò intellectus ad veritatis cognitionem instrui poterit, sed & affectus ad eiusdem praxim & quotidianam exercitationem cum Dei gratia concitari. *Grandis virtus est, inquit sancti Hieronymus, & sollicita diligentia, superare quod natus sis; in carne non carnaliter vivere, tecum pugnare quotidie, & includere hostem, Arzi, ut fabula ferunt, centum oculis observare.* Tum idem alibi de seipso: *O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, qua exusta solis ardoribus horridum monachis prestat habitaculum, putabam me romanis interesse deliciis! Et quæ plura prosequitur.*

*Sic sanctus Ambrosius? Revera, inquit, iure ea fortitudo vocatur, quando unusquisque seip-*

Sap. 10.  
Ibid. 4.  
Ep. 30.  
Ep. 22.  
L. 1. Offic. c. 36.

sum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur. Quid autem excelsius & magnificentius quam exercere mentem, assicere carnem & in servitutem redigere, ut obedias imperio, consiliis obtemperes? Sanctus quoque Gregorius, quid fortius, inquit, quam omnes animi sui motus rationi subigere, omnia carnis desideria spiritus virtute frangere, proprias voluntates abjicere, contemptis visibilibus, ea qua non videntur amare? Lactantius etiam egregie postquàm illud ex Oratore retulit, nulla est tanta vis qua non ferro ac viribus debilitari frangique possit. At animum vincere, iracundiam cohibere, fortissimi est qua ille nec fecit unquam nec potuit. Hæc qui faciat non modò eum cum summis viris comparo, sed simillimū Deo iustico. Velle, inquit, adiectisset de libidine, luxuria, cupiditate, insolentia, ut virtutem eius impletet quem similem Deo iudicabat. Tum de singulis pergens dicere, ostendit fortitudinis gloriam in hoc præcipue sita esse, ne ab illis vincaris. Et certe si turpe est à quoquam vinci, quantò magis ab ipsa turpitudine! Quantum glorificavit se & in deliciis suis, tantum dante illi tormentum & luctum.

Plures ex singulis partibus huc facile possunt referri veritates, de quibus vide in indice, Verbo Fortitudo, Virtus.

In Pl. 2. pœnit.  
Lib. 1. In-  
stit. c. 9.  
Apoc. 18.

## DE SANCTIS PHILIPPO ET IACOBO APOSTOLIS.

Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me: Philippe qui videt me, videt & Patrem.  
Ioan. 14.

### VERITAS PRACTICA.

Si tempus respicis comparandæ tibi virtutis: vix ullam tibi comparatam respicies.

*RATIO est, quia vix ulla est virtus, si non respondet tempori aut gratis datis.*

*Sed si tempus respicis comparanda tibi virtutis, vix ullam respicies tempori aut gratis datis respondentem.*

*Ergo & vix ullam tibi comparatam respicies; quod certe est parvendum.*

### I. PUNCTUM.

**C**UM in illo postremo sermone, quem Christus Dominus post Cœnam ha-

buit cum Apostolis, multa de Patre suo differeret, dicit ei Philippus, *Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis;* tum Dominus Iesus, *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me! Philippe qui videt me, videt & patrem! Quomodo tu dicis, ostende nobis patrem? Non creditis quia ego in patre, & pater in me est!* Et quæ plura pergit Dominus, satis indicant ignorantiam Discipuli non vacasse culpa, in coque potissimum omnes redarguit, quod, cum tanto jam tempore cum illis fuisset, & tam multis sermonibus ac miraculis de Divinitate sua instruxisset, adhuc essent ita rudes & ignari, ut peterent videre Patrem, nec crederent eum esse in Filio, sicut Filius erat in Patre; quod etsi tolerari posset cum primum ad ipsum

lum accedere; jam verò postquam tamdiu simul sunt commorati, id penitus esse probrosum & intolerandum. Sic sanctus Hilarius ait arguisse Dominum Apostolos, *in cognoscendo se, ignorantibus: cum toties vidissent ea que gerebat propria Deo esse, ut calcare undas; jubere ventis, peccata dimittere, mortuis vitam reddere*. Sed, ut ait sanctus Ioannes Chryostomus, eorum ignorantia & imperfectio nobis revelatur, ut cognoscamus quales ex se, qualesve ex Spiritu sancto fuerint. Nam ille ipse Philippus qui tanto tempore tam parum profecerat in cognoscendo Christo, sic postmodum eum esse verum Deum agnovit & predicavit, ut propterea Cruci affixus & lapidibus obrutus fuerit, Hierapoli Phrygiæ. Sanctus item Iacobus cum interrogatus fuisset à Iudæis, quid de Christo sentiret, respondit constantissimè illum esse Dei filium; quomobrem in altissimum Ierolymitanum templi locum eum adduxerunt, atque inde præcipitatus, fuisse fullonis occisus est. O si tandem aliquando perveniremus eò virtutis & perfectionis, quo nos vocat Christus? & si saltem agnosceremus nos nondum eo pervenisse, & quam sit modica, aut prope nulla virtus nostra, probè nossemus! sed miserè miseriam nostram ignoramus! *Et nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper & cæcus & nudus.*

Apoc. 3.

Ad hanc autem miseriam & paupertatem agnoscendam, opportunè ex verbis Domini quibus Apostolos arguebat, *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me*, proponitur veritas expendenda; *Quod si tempus respicias comparanda tibi virtutis, vix ullam tibi comparatam respicias*. Sicque saltem erit quo te, favente Deo, possis agnoscere. Ratio verò propositæ veritatis & quæ ex Christi Domini verbis eruitur, hæc est: quod quæ virtus non respondit tempori aut gratis acceptis ad eam rectè formandam, non est sufficiens aut ulla virtus. Certum est enim primò virtutis multos esse gradus, & qui gradus sufficeret Novitio, non sufficeret Veterano. Deinde satis constat istam differentiam graduum virtutis ita pendere à gratis datis & acceptis, ut, cui plus datum est, plus exigatur ab eo. Denique licet aliquando brevi tempore plus gratiarum uni detur quàm alteri per multos annos; ordinariè tamen loquendo, progressus virtutis fit procedente tempore, si videlicet primæ datæ gratiæ & consequentibus respondeat

Luc. 12.

Haynevsue Pars 2.

anima, tum gratia, simulque virtus, crescit velut aurora consurgens, aut ut ait Sapiens, *Iustorum semita quasi lux splendens procedit & Prov. 4. crescit usque ad perfectam diem.*

Sic de Christo Domino dicitur: *puer crescebat & confortabatur spiritu, plenus sapientia.* Et paulo post, *Et Iesus proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines.* Id est, edebat nova signa virtutis quæ correspondere atati, ut nos doceret sic virtutem nobis esse debere velut coætaneam & ejusmodi gradus ac vigoris, quem exigit temporis & gratiæ diuturnitas. *Ecce tres anni sunt dicebat Luc. 13. Dominus vineæ, ex quo venio quarens fructum in ficulnea hac, & non invenio.* Vides numerari tempus & annos, & pro ratione temporis quæri fructum, & expendi virtutem an adqueretur gratis: & si quidem respondeat, tum approbetur & compensetur sua minus, tum reprobetur & puniatur. *Appensus es, Audi anima, audi quid uni dictum sit & in uno tibi. Numeravit Deus regnum tuum & complevit illud Dan. 5. lud. Appensus es in statera, & inventus es minus habens.* Et alteris, *non invenio opera tua plena coram Deo meo, quia scilicet non habebat in mente, qualiter accepisset & audisset; nec id ipsum ita servabat.* Unde planissimum est, virtutem eam quæ non respondet tempori aut gratis, non esse sufficientem, non esse plenam, non esse vivam sed mortuam, uno verbo, non esse virtutem; ac proinde illi viro dicitur, *cujus non erant opera plena, Nomen habes quod vivas, & mortuus es.* O infidum nomen quo virtus nominatur, & nulla est.

Luc. 2.

Luc. 13.

Dan. 5.

Apoc. 3.

Ibid.

II. PUNCTUM.

**S**ED si tempus respicias comparanda tibi virtutis, vix ullam respicias tempori aut gratis datis respondentem.

Cum enim Deus sua natura sit liberalissimus & propensissimus ad conferendas gratias; nos verò contra valde angusti & restricti ad eas accipiendas, quòd earum pretium, dignitatem, necessitatem & utilitatem nesciamus, aut non cogitemus; certè verendum est unicuique, ne, cum multa sic dantur, pauca recipiantur: ne cum semen in agro seminatur, pars in spinas, aut lapides aut viam omnibus obviam decidat & nullum fructum ferat. Undenam putas toties in scripturis conqueri Dominum quod nullus sit cæcus aut nullus sur-

Is. 42.

Iii

duc.

Is. 42. *dominus, nisi ad quos misit nuncios seu Prophetas? Nonne hinc, quia paucissimi sunt qui oblatas recipiant gratias: plurimi vero qui respiciunt aut quam diutaxat volunt, particulam sumunt. Et locutus sum ad vos de nocte con-*  
 Ier. 25. *furgens, & loquens: & non audistis. Et misit Dominus ad vos, omnes servos suos Prophetas conjurgens diluculo, & non audistis. Et verterrunt ad me terga & non facies, cum docerem eos diluculo, & erudirem, & nolent audire ut acciperent disciplinam. Et noluerunt attendere, & arverterunt scapulam recedentem, & aures suas aggravaverunt ne audirent; & cor suum posuerunt ut adamantem ne audirent legem. Quae & similia, quibus abundat Scripturae, satis indicant tam raram esse proventum quam frequentem sementem.*

2. Cor. 13. *Tu ipse Iudex esto, Postmetipsum tentare, inquit Apostolus: si estis in fide, ipsi vos probate. A quo tempore vacas virtuti? quas non accepisti cum gratias, lumina, motus & quaecunque tibi acquirendae virtuti sunt necessaria? Iam vero qualis tua virtus? qualis humilitas, patientia, devotio, mansuetudo, caritas, castitas & aliae tuo magis conformes statui: Ita ne firmae ac robustae omnes prout requirit tempus studii, & gratia profectus tui! Si tantum temporis potuisses in literis aut arte aliqua comparanda, nec plus profecisses quam in humilitate profeceris, nonne aperte cognosceres literas tuas non respondere temporis studiorum? Cur non idem cognoscas de virtute? an quia nescis ita dijudicare defectum virtutis ac literarum? o te miserum & miserandum, qui nec dum didiceris agnoscere ipsum profectum vel defectum virtutis!*

Etsi certe alia tui defectus argumenta deessent, hoc unum plane sufficit, ut agnoscas quam longe distes ab eo qui esse deberes, pro ratione positi temporis: cum nec scias agnoscere utrum ex aequo profeceris! Quam tibi apte Apostolus: *Item cum deberetis esse Magistri propter tempus, rursum indigetis ut vos doceamini, quia sunt elementis exordii sermonum Dei, & facti estis quibus opus lactis sic non solidum cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expertus est sermonis iustitiae, parvulus enim est: Perfectionum autem est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.* Nota haec postrema verba, ut videas quicumque hanc non habet discretionem boni & mali, esse ignorantem ut

puerum: & illum esse puerum de quo dicitur: *puer centum annorum morietur; id est, cui virtus non respondet annis: qui est aetate centenarius, & virtute decennis.*

## III. PUNCTUM.

*Si tempus ergo respicias comparanda tibi virtutis, vix ullam tibi comparatam respicias: quia vix ulla erit quae respondeat tempori & gratis datis, quibus si virtus non responderet, non est virtus, non est virtus Sacerdotis, quae esset laici, non est virtus veterani Patris, quae esset junioris religiosi; sicut non esset scriptio Rhetoris quae posset esse Grammatici. Vni-*  
 1. Cor. 7. *enique sicut divisit Dominus. Hoc est scilicet quod illi clamant in inferno: Et virtutis quidem nullum signum valuisse ostendere. Putal-*  
 Sap. 5. *ne nullum prorsus valuisse? non est ita, cum vix sit ullus tam improbus, qui non aliquod saltem in vita virtutis signum edat; sed verum tamen se nullum dedisse dicunt, quia tamen si aliquam virtutis speciem praeseferrent, virtutem tamen re ipsa non habebant, quia non habebant virtutem sibi convenientem, virtutem coaevam aetati, virtutem gratis respondentem: qui defectus verae virtutis si anteriora illa tempora maculaverit, quanto magis verendum ne haec nostra contaminet, cum aperte Apostolus praedixerit: In novissimis diebus fore tempora periculosa quibus homines essent seipsum amantes, cupidi, elati, superbi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Quanam est species pietatis aut humilitatis & charitatis? Actus quidam exerciti. Quanam eorum actuum virtus abnegata? Illa vis scilicet & illud robur quod ex aetate deberent habere, si aetati responderent: unde nihil restat nisi species & appatens quaedam imago virtutis, virtus autem nulla.*

*Ephraim factus est subcinericius panis qui non revertatur. Comederunt alieni robur eius, & ipse nescivit: sed & cani effusi sunt in eo & ipse ignoravit. Aptissima prorsus Prophetarum verba: nam subcinericius panis qui non revertatur, licet diu sub cinere jacuerit, non est coctus, nec proinde bonus; sic virtus non exulta: robur autem comestum ab alienis, & effusi cani nescientis & ignari, ipsa est virtus animi deficiens ab aetate, cuius tamen defectum*



non advertimus nec cogitamus, sicque fit ut  
Iob. 2. 6. 1 quod ait Iob: Gigantes gemunt sub aquis, Id  
est, proVecti aetate laborant defectu virtu-  
Eccles. 2. tis, Et quid facient cum inspicere cæperit Do-

minus? Hoc est modò gemendum & prospici-  
endum.

Vide in 3. parte, Dominicam 7. & ubi agi-  
tur de Renovatione votorum, in fine.

# IN FESTO INVENTIONIS <sup>Die 3.</sup> SANCTÆ CRUCIS. <sup>Maii.</sup>

Notas facite in populis ad inventiones eius. Il. 22.

## VERITAS PRACTICA.

Si quid forte asperius inveniatur de quo con-  
quereris, de inventa Cruce conquereris.

RATIO est aperta, quia crux id omne dicitur  
quod est asperum in virtute seu divino cultu.  
Ut verò melius intelligatur quomodo ha que-  
rimonia & murmura redundent in ipsam  
Christi crucem, sic alia videtur alteri subii-  
cienda veritas:

Inventæ cruci tantum quis detrahit, quan-  
tum in pœnis murmurat.

RATIO est, quia detrahens cruci est virtutem  
eius diminueret.

Sed qui murmurat in pœnis, tantum dimittit  
virtutem crucis quantum murmurat.

Ergo & illi tantum detrahit. Quod ne fiat, disce  
libenter pati.

## I. PUNCTUM.

TRES possunt considerari ad inventio-  
nes crucis, seu triplex ad inventio Dei,  
circa crucem.

Prima quæ hodie colitur, quando Helena  
Constantini mater Imperatoris Christiani di-  
vino mota consilio, sacrum illud lignum, in  
quo Christus Dominus pependit, invenit Ie-  
rosolymis in monte Calvaria, ubi per trecentos  
pene annos latuerat. Inventio est etiam  
Dei, seu divina ad inventio, non quia tantum  
divino, ut dixi, motu facta est, sed quia idcirco  
facta est, ut Christiani hoc salutari signo  
per univèrsam orbem celebrato, salutis suæ  
instrumentum & Salvatoris sui memoriam

præcipuo cultu venerarentur. O Crux splendi-  
dior cunctis astris. Hac est arbor dignissima, in  
paradysi medio situata, in qua salutis author  
proprio morte mortem omnium superavit.

Secunda Dei ad inventio circa crucem, est  
admirandum divinæ Sapientiæ consilium,  
quo reparandi humani generis hic ad inven-  
tus est modus; quàm stupendum hoc consi-  
lium! qualis ad inventio! quis cogitasset salu-  
tem hominum, maximum illud divinorum  
omnium opus, in tã vili & probrosa materia,  
quale erat infame lignum crucis, esse restau-  
randam? Christus factus est pro nobis maledictus, Gal. 3.  
quia scriptum est: maledictus omnis qui pendet in  
ligno. Quis verò non demeretur illam crucis  
infamiam in tantam modo gloriam & hono-  
rem esse commutatam, ut nihil cruce sit glo-  
riosius, nihil pretiosius? Vobis honor credenti- 1. Pet. 2.  
bus, non credentibus autem lapis, quem reproba-  
verunt adificantes, hic factus est in caput anguli:  
MIHI autem absit gloriari nisi in cruce Domini Gal. 6.  
nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus cru-  
cifixus est, & ego mundo.

Tertia denique ad inventio est, cum ex ho-  
nore & pretio crucis, in qua Christus Domi-  
nus salutem nostram est operatus, inferatur æ-  
stimatio & commendatio mortificationis &  
tolerantiæ, quæ est genus quoddam crucis de  
quo Dominus: Si quis vult post me venire, ab-  
neget semetipsum, & tollat crucem suam quoti-  
die, & sequatur me. Sicut enim, quod erat in-  
fame lignum, per contactum Christi, factum  
est gloriosum, ita pœnæ & opprobria quæ  
secundum carnis & mundi sensum erant hor-  
renda, nunc per Christum facta sunt suavia  
& amplectenda. O bona crux quæ decorem de S. Andreas  
membris Domini mei accepisti! quod non tam  
dictum de ligno quam de tormento crucis,  
seu

seu de qualibet alia pœna, cujus Dominus tã verè abstulit opprobrium & aculeum, ut non sit minus honorificum & suave pati quam gestare crucem. Undenam ergo nunc inter Christianos de pœnis quas inveniunt murmura? Certe undecunque veniant & quicunque sint, qui sic in pœnis murmurent, Iudicum, Paganum & profanum aliquid redolere dicendi sunt: cum tantum detrahant honori crucis, cujus hodie honor commendatur, quantum in pœnis murmurant.

Hæc est proposita veritas ad praxim non minus utilis quam facilis ad intelligentiam. Quid est enim honori crucis detrahere, nisi vim eius & virtutem diminueret? Nonne si quis negaret miracula, sanitates, expulsionones dæmonum, mortuos suscitatos & alia innumera per sacrum crucis lignum mirè patrata; si quis ea derideret quasi per illud lignum nihil tale fieri posset, nonne cruci detraheret? Quia scilicet vim ejus & virtutem negaret. Nonne propter crucis signum quod in frõte formas, eam inesse vim ut dæmones pellat, tentationes arceat, divinam conciliet opem, & sexcentis abundet bonis? sic igitur hæreticus aliquis qui hæc irrideat, nonne is cruci detrahet? Cur porro nisi quia vim eius & virtutem diminuet? sed absit hoc erroris portentum, & quod ab ipso nascentis Ecclesiæ primo exordio factum est, sic semper fiat, quod Tertullianus luculentè scribit: *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum atque exitum; ad vestitum & calcieatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conversatio exerceat, frontem crucis signaculo terimus. Harum & aliarum disciplinarum si legem expositales, scripturarum nullam invenies. Traditio tibi præstatur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.*

I. de corona mil. c. 3. & 4.

*Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum atque exitum; ad vestitum & calcieatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conversatio exerceat, frontem crucis signaculo terimus. Harum & aliarum disciplinarum si legem expositales, scripturarum nullam invenies. Traditio tibi præstatur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.*

## II. PUNCTUM.

**S**ED qui murmurat in pœnis, virtutem crucis tantum diminuit, quantum murmurat.

Hæc est enim virtus crucis, ut pœnas acceptas & gratas faciat; hoc est lignum, quod in aquis amaris positum dulces illas fecit; hæc est farina, quæ in ollam conjecta, omnem induriam sustulit; hic savor mellis, ex ore leonis educus; hoc est oleum, quo inunctum jugum compurefecit & sic suave jugum Christi, de quo tam suaviter S. Augustinus: *Mansuesce-*

Is. 10.

*isti jugo tuo cervicem meam, & nunc porto illud & leve est mihi.* Hic fasciculus myrrha, qui dicitur 2. Conf. inter ubera sponse morabitur, nihil est tam alperum & insuave quod non condariatur, ut Cant. 1. de se suisque proficitur S. Bernardus. Denique Serm. 43. sicut in cruce est salus, ita in ea est infusio salis. 1. 2. c. 12. pœna sua vitatis, ut est apud Kempensem.

Undenam porro illa suavitas, illa facilitas nisi à cruce Christi? sive quod inde Christus gratiam promeruerit, sive quod ejus incuitu nos ita formet: sive quod ex ejus veneratione, animus in pœnarum amore facile transeat. Quocunque id denique modo fiat, prope illud est quod in templorum consecratione peragitur dum unguuntur cruce. Vos qui expertis estis, inquit S. Bernardus, ecce scitis, quia verè crux nostra inuncta est & per gratiam spiritus adiuvantis, suavis & delectabilis est. pœnitentia nostra, & ut ita dicam, amaritudo nostra dulcissima.

Tu verò quisquis murmurat, nonne hanc virtutem crucis negas aut minuis? Unde enim murmuratum nisi ex adverso animi sensu, quem pœnae sensus excitat? Quid porro est ad versus ille animi sensus nisi iudicium quoddam de amaritudine & acerbitate doloris quæ sustines? quod quidem iudicium tuum si verum est, falsum esse necesse est, quod de virtute crucis dicitur, sicque virtutem eius tantum diminuis per murmur, quantum per illud iudicis id esse malum quod per crucem factum est bonum. Esto sic adhuc sensibilis dolor, non est sublatus per crucem dolor, sed ille duntaxat animi angor & inætor quem ex dolore percipis, si modò velles ad crucem Christi attendere; sicut dæmon dicitur victus & mors mortua per mortem Christi, cum tamen ne dæmon cesset tentare neque mors vitam abripere, sed quia per mortem Christi facile possumus dæmoni resistere & æternæ mortis damna evitare, sic mors cogitur non quidem non adesse sed non obesse, ait sanctus Bernardus. Ita planè de pœnis sentiendum, sic per crucem Christi sunt mitigata, ut remaneat quidem dolor, sed non angor ille qui murmurat excitat, si cum divina gratia cogitare velis sic te per pœnas conformari Crucifixo, sic te salutem & perfectionem assequi, sic te, uno verbo, tibi certiores gratias, gloriaque thesauros cumulare. Unde quàm verum est hanc esse vim & virtutem crucis, ut illum angorem & murmur possit compescere, tam certò liquet.

quet te hanc diminuere virtutem cum adhuc murmurat; nam illi te opponis, ejus resistis gratiæ; neque minus ei contradicis quam si negares quod dicitur de eius virtute & potentia, palamque diceres te contrarium experiri. O te miserum qui cum Christi hostibus expugnas crucem, à qua poteras contra tuos hostes propugnari!

III. PUNCTUM.

SIC ergo quando quis invenit aliquid asperum de quo conqueritur, & de inventa cruce conqueritur, & inventa cruce tantum is detrahit, quantum in pœnis murmurat, Quia sic virtutem eius diminuit quod est illi detrahere, & honorem qui hodie ab omnibus ille conferitur velle quodammodo subtrahere, perinde ac si crucis hostis, & de illis esset quos Apostolus vocat, *Inimicos crucis Christi!* Certè non alios ita vocat quam qui terrena sapiunt & delicias præferunt veris bonis, atque hoc sæpe cum à se dictum scribat, nunc se stentem ait iterare ac rursus repetere, cum sic ad Philippenfes scriberet. Quod & alius Apostolus his aptè verbis exponit: *Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes.* Vide ne quò impietatis te murmur tuum

Phil. 3.  
S. Judas.

adigat! Vide ne quanto gravius in pœnas devolvaris cum de pœnis cõquereris! nihil enim ita celeriter ac severè punit Deus quam istos murmuratores, ut præclare Judith suis Bethulicis, unde & patientiæ commendanda sumit argumentum: *Omnes, inquit, qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transferunt fideles. Illi autem qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam & improperium murmuratiõis suæ contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore & à serpentibus perierunt.* Et nos ergo non ulciscamur nos pro his quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hac ipsa supplicia minora esse, flagella Domini quibus quasi servi corripimur, ad emendationem & non ad perditionem nostram evenisse credamus. Et dixerunt illi Ozias & Presbyteri; *omnia quæ locuta es, vera sunt & non est in sermonibus tuis ulla reprehensio*

Judith 8.

1. Cor. 10.  
Num. 11.

Velle ne tu illam reprehendere? Nonne tu igitur reprehensibilis es, si murmurare pergis! Custodite ergo vos à murmuratiõne quæ non solum nihil prodest, ut monet Sapiens, sed & valde nocet ut visum est, unde idem pergit; & à detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit, os autem quod mœtuitur, occidit animam. Vide supra in Quadragesima, singulis pene hebdomadis & feriis.

Sap. 1.

CONSIDERATIONES ET VERITATES COMMUNES OMNIBUS STATIBUS.

PRIMA CONSIDERATIO. NON SINE DEO STATVM Esse deligendum.

Va filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum, & os meum non interrogastis. Matæ 30.

VERITAS PRACTICA.

Præcipitatio animi in statu vitæ deligendo, præcipitium est animæ.

SENSVS est, quod qui sine Deo temerè statum

vita præsentis eligit, timere debet ne statum eligat futura damnationis.

RATIO est, quia illi suo in statu timendum est in futuram vitam, qui statum exerceat sine dũ & gratiis Dei.

Sed qui sine Deo temerè statum vita præsentis eligit,

iii 3.

*eligit, statum exercet ordinariè sine ductu & gratiis Dei.*

*Ergo timere debet, ne statum eligat futura damnationis; sitq; anime præcipitium illa præcipitatio animi, quo movetur in hoc vel illud vocationis genus, non ritè priùs consulto Deo.*

### I. PUNCTUM.

**Q**UANTI sit momenti hæc consideratio vel ex hoc liquet, quod non modò totius vitæ præsentis sed & futuræ, necnon æternitatis operosum illud negotium agitur, cui uni operando creati sumus. Neque verò tantus est labor in cognoscendo & eligendo vitæ statu, si Deum consulas, quantum est periculum ne consulas, & quantum est damnum si statum eligas non consulto Deo. Quamobrem sic est formata veritas quæ consideranda proponitur, ut seridè apprehendas non esse quidquam statuendū sine Deo, de statu vitæ præsentis; cum sic alioquin statueretur de statu futuræ damnationis. Expende singulas propositiones quæ id declarant.

Prima est manifesta; quid enim speret is aut quid non timeat qui sine ductu & gratiis Dei statum exercet? An poterit aliquid boni sine Deo? aut si nihil boni præstet, an poterit rectè sperare salutem? an poterit non timere damnationem? Nonne à statu vitæ velut à certa vivendi regula, petenda est ratio totius boni quod agas, orationum, eleëmofynarum, jejuniorum; & similibus bonorum operum, quæ ita dependent à proprio cuiusque statu, ut in quo unus bene, male alius operari possit? Jam verò si status sit à Deo destitutus, neque eius ductus & gratia dirigatur, nonne velut distorta regula, quidquid ad eum dirigitur depravabit? Si radix est amara,

*Matth. 7. quales erunt fructus? Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? si scaturigo luculenta, quales rivuli fluent? si nequam oculus fuerit, nonne etiam, quod aiebat Dominus, corpus tuum tenebrosum erit? Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebra sint; nam si tenebra sunt, ipsa tenebra quanta erunt: vide ne infau-*

*Luc. 11. sta illa in te cadant: Va eis quoniam recesserunt à me; sed & va eis cum recessero ab eis.*

*Matth. 6. Osee 7. & 9.*

### II. PUNCTUM.

**S**ED qui sine Deo temerè statum vitæ præsentis eligit, statum exercet ordinariè sine ductu & gratiis Dei.

Primò enim qui rem tanti momenti, qualis est electio status, sine Deo constituit, quæ minora sunt sine illo facile aggreditur, nec multum curabit ductum eius aut gratias quibus regatur. Illa illa libido quæ traxit animum ad talem vitæ statum, sic constanter inducet ad eum exercendum, ut vix ullo alio moveatur motu. *Proverbium est, inquit Sapiens, adolescens iuxta viam suam, etiam cum se- Pr. 2. nuerit non recedet ab ea. VNVSQ; VIQ;VE in vi- Is. 53. am suam declinavit.*

Deinde verò licet oraret, nonne hæc est ordinaria pœna peccatorum, ut eorum preces difficilius exaudiantur, cum præcipuè circa id orant in quo peccaverunt? Si peccatum quidem suum agnoscerent & de instaurando statu cogitarent, forsitan ignosceret Deus, ut alia meditatione videbitur; sed cum suo in errore permanentes efflagitent gratias ad illum statum exercendum quem noluit Deus, aut certe in quo eligendo non est consultus, vix eas obtinerent, & justè remitterentur ad illos quorum consilium potius quàm Dei quaesierunt; *Surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegent: Nam si parentes filium, qui se inconsultis matrimonium cõtraxisset, jure privarent suis bonis, aut gratiâ quam illi aliobuam contulissent, nonne eodem & potiori jure Deus filios illos subtractionis puniet, qui nec eo rogato nec consulto, in statum vitæ se injezarunt? Va qui pradaris, nonne & ipse pradaris, & qui spernis, nonne & ipse sperneris: Cum consummaveris depradationem, depradaberis, cum fatigatus deseris contemneres, contemneris.*

### III. PUNCTUM.

**S**IC ergo est, quod qui sine Deo temerè statum vitæ præsentis eligit: timere debet, ne statum eligat futura damnationis.

Nam quicumque sit ille status, nisi Deus adsit, quis digne Deo poterit eum exercere? Quis sine Deo tutus, cum etiam adjuvante Deo, tam multi sua culpa cadant? Quis porò justius à Deo dici potest in statu exercendo delersi, quàm qui dum statum eligeret, Deum

Deum deseruit? Nonne illis jam pridem dictum, dereliquistis Dominum ut derelinqueret vos? quantumcumque sint illi prudentes, peribit sapientia à sapientibus eius, & inimicis eius prudentium eius absconditur. Væ qui profundi estis corde, ut à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt, quis videt nos, & quis no vit nos? perversa est hac vestra cogitatio, quasi si lutum contra frigidum cogitet & dicat opus factori suo, non fecisti me, & signum dicat fictori suo, non intelligis.

Quamobrem id summopere præcavendum, & audiendus in primis Sapiens: sili, sine consilio nihil facias, & post factum non poenitebit. In via ruina non eas, & non offendes in lapides: nec credas te via laboriosa, ne ponas anima

tua scandalum. Rursumque idem & apertius. Cor boni consilii statue tecum, non est enim aliud pluris illo. Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam septem Circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. Et in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam. LOQUERE Domine quia audit servus tuus. NOTAM fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam. Eripe me de inimicis meis Domine, & doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam propter nomen tuum: Domine vivificabis me in aequitate tua.

De divina autem voluntate agnoscenda circa statum, vide plura in libris de Ordine, atque hic in Meditatione vernacula.

Ibid. 37.  
1. Reg. 3.  
Ps. 142.

## CONSIDERATIO SECUNDA DE NON DIFFERENDA STATUS Sive Vocationis cognita acceptatione.

Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Eccel. 5.

### VERITAS PRACTICA.

Non evitat præcipitium sed mutat, qui nimis sit præceps, nimis est lentus.

RATIO est, quia præcipitium evitandum, de quo hic agitur, hoc est, ne quid in statu eligendo fiat contra vel præter voluntatem Dei.

Sed si nimis sis lentus vel ad inquirendam vel captandam divinam voluntatem, fieri poterit aliquid contra ipsam Dei voluntatem.

Ergo non evitat præcipitium sed mutat, qui, nimis sit præceps, nimis est lentus: ac propterea sicut tandem deliberandum est de vite statu donec cognoscatur Dei voluntas: sic eam cognita, non est diutius dubitandum, nec differenda status acceptatio.

### I P U N C T U M.

QUE in omni negotio cavenda maxima sunt duo illa extrema, præcipitatio & tarditas: ea præcipue sunt in statu vite deligendo evitanda. Neque minus pe-

riculi aut detrimenti est in uno extremorum quam in alio, cum ex utroque perinde, ni caveatur, periculum sit, ne quid præter aut contra Dei voluntatem fiat, quod est maximum in hac materia detrimentum. Quamobrem sicut antè provisum est, ne quid præcipites, ita modo ne differas: & eadem prorsus utriusque est ratio quæ à divina voluntate petitur, & in veritate proposita continetur.

Sic ergo habet, totum hoc negotium in hoc uno verti, ut voluntas Dei de nobis agnoscat & fiat. Hæc una deliberandi causa, hæc una præcipitationis cavenda ratio; hæc una est legitima ad illos responsio, qui temere contra postulantes religiosum habitum, fremunt & obijciunt, ubique & in unoquoque statu Deum posse coli, ac salutem æternam comparari; non est enim hoc aliter verum de unoquoque singulari, quam si fuerit in suo statu, id est, in eo quem destinavit illi Deus.

Secundum propositum voluntatis sue, inquit Apostolus, secundum propositum meum, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue, ut sumus in laudem gloriæ eius.

Ephes. 1.

Cum

Cum enim divina sapientia sic mundum regat per varios hominum status, ut videmus; providit ipsa, quem cuique statui potissimum applicaret, singulisque naturales dotes, talenta & gratias destinavit, quibus non in hac tantum vita vite suum illud munus obirent ad quod vocati sunt, sed & æternam inde vitam ac beatitudinem promerentur. Sit verò aliquis qui temere se in statum præcipitet non quem destinavit Deus, sed quem sua libido proposuit; illumne putas hominem tam certo suam salutem in hoc suo statu consecuturum quam in illo alio cœlitus destinato? Caye id putes, non quod status ille sit malus, sed quod non ille sit quem volebat Deus, & cui propterea suas gratias attexerat, quantum præsidio servandus erat is, qui earum defectu peribit in alio statu quem volebat Deus. *Velut si avis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo anima illius agitur.*

Pr. 17.

Id ergo plane pender a prima illa Dei, quam Apostolus vocat, *Voluntate Bonitatis*, qua scilicet de unoquoque benignè statuit non quidem absolute sed conditione adjecta si velit, si consentiat, si cooperetur; *Oramus*, inquit, *semper pro vobis, ut dignetur vos vocatione sua Deus nascer, & impleat omnem voluntatem bonitatis*; Tum enim demum beatus is qui se illi primæ voluntati accommodet & totum conformet; si quis verò dissentiat & aliter de se suisque ordinet, nihil nisi distortum, inordinatum, confusum, & perturbatum expectet, quia non habet Deum provisorem & adiutorem, *quoniam obtrivit Dominus confidentiam tuam, & nihil habebis prosperum in ea. NOLITE ascendere non est enim Dominus nobiscum, ne corruatis coram inimicis vestris.*

Ier. 2.

Exodi 14.

Hæc est ergo ratio, cur sic deliberandum est ante statum, ne quid scilicet contra hunc divinum ordinem statuatur, unde in totam vitam atque ipsam etiam æternitatem perniciæ importaretur. *Erraverunt ab utero, locuti sunt falsa, furor illi secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surda & obturantis aures suas, qua non exaudiet voces incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Hæc si attentè perpendas, videbis quam apta sint & congrua. Sed egregius est locus apud Hsaiam, qui his opportunè accommodari possit: *Et vos qui deliquistis Dominum, qui oblitus estis montem sanctum meum, qui ponitis fortuna mensam*

Ps. 77.

Is. 65.

*& libatis super eam. Numerabo vos in gladio, & omnes eade corrueitis: pro eo quod vocavi & non respondistis: locutus sum & non audistis, & faciebatis malum in oculis meis, & qua ego nolui, elegistis: Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus: ecce servi mei com. dent & vos ejurietis. Et quæ plura pergit in hunc sensum, quo declaratur tam male futurum iis, qui sine Deo statum vitæ eligunt, quam bene aliis.*

## II. PUNCTUM.

**S**ED si nimis lentus vel ad inquirendam vel ad acceptandam divinam voluntatem, periculum est, ne quid fiat contra ipsam Dei voluntatē.

De inquirenda quantumvis divina voluntate satis per se patet & ex superiori consideratione manifestum relinquitur. Nunc verò de acceptanda sine dilatione quando cognoscitur: seu de fugienda tarditate in acceptando statu cognito, ne forte unquam acceptetur si nimis differas, secunda hæc propositio potissimum est intelligenda. Ac primò quidem illa dilatio licet totum negotium non penitus destrueret, ira tamen displicet Deo, qui jubet statim dari quod noris dandum, neque in crastinum differri quod hodie possis, ut meritò timeri possit ne quid periculi & detrimenti ab ea dilatione proveniat. Sic enim Sapiens postquam dixit: *Non tardes converti, ne differas; statim addit, subit enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.*

Prov. 3.

Ecclesi. 5.

Secundò, minus paratum indicat animum quam par esset ad cultum Dei: quid enim nutas cum noris quid velit Deus? hoc unum erat exquirendum, hoc unum in deliberationem venerat, quod cum sit modò manifestum, quid est quod rursus deliberas? quid est quod dubitas aut longius differas? *Quid adhuc retardis, ait Dominus, & quid dicitis in his, quæ sunt scilicet tam manifesta ut non sit dubitandi locus!*

Ecclesi. 5.

Tertio denique quod caput est, cum nihil sit levius & inconstantius humana voluntate, hoc unum cunctationes illæ producant, ut nihil tandem fiat, nihil eorum quæ deliberasti, aut quæ facta deliberatione statuisti; quod ex triplici capite provenit. Primo quidem ab inconstantia humana, quæ se facillimè diversas rapit in partes quando

sibi

Sap. 5. sibi relinquitur fascinatio enim nugationis ob-  
servat bona, & incensurata concupiscentia trans-  
verrit sensum. Deinde vero à dæmone, qui si  
deliberationem impedire non potuit, cona-  
tur effectum retardare & penitus detorquere,  
sub prætextu consilii certioris capiendi, vel a-  
liqua etiam pietatis prætextu causâ: permittit  
Matth. 8. me primum ire, & sepelire patrem meum. Ac  
tandem ipse Deus tali offensus mora & tardita-  
te, hominem deserit, lumen ab intellectu  
subtrahit, affectum & voluntatem, & cogi-  
tationem & memoriam subvertit omnem.  
Prov. 1. Vocavi & renuistis, despectistis omne consilium  
Luc. 7. meum! CONSILIVM Dei speraverunt in semet-  
ipso. Unde postremò sit ut miseranda illa ani-  
ma quò se vertat nesciat, ubique tenebras, u-  
bique luctus, ubique damnum timet. Ascen-  
dunt usque ad cælos, & descendunt usque ad  
Ps. 106. abyssos, anima eorum in malis tabescat, Turbati  
sunt, & moti sunt sicut ebrius, omnis sapientia  
eorum devorata est. O quam ille sapientius  
Ps. 118. qui dicebat: paratus sum & non sum turbatus,  
ut custodiam mandata tua.

## III. PUNCTUM.

Non evitat ergo precipitium sed mutat, qui  
ne nimis sit præceptus, nimis est lentus: quan-  
doquidem ex hac lentitudine & tarditate non  
minus est periculi, ne divina fiat voluntas in  
eligendo statu, quàm ex præcipitatione & in-  
consulta deliberatione. Fertilis fuit Moab ab a-  
delecentia sua, & requievit in facibus suis, nec  
Ier. 48. transfusus est de vase in vas, & in transmigra-  
tionem non abiit, idcirco permansit gustus ejus in  
eo, & odor ejus non est immutatus. Tum post  
multa inde futura damna, sic Propheta pergit  
pavor & fornea & laqueus super te, ô habitator  
Moab, dicit Dominus. Qui suserit à facie parvo-  
ris, cadet in forream: & qui conscenderit de fo-  
vea, capietur laqueo. Sic plane qui lentiores  
sunt: sic inopes redduntur consilii ut omnia  
timeant, & unum fugiendo periculum in a-

liud incidunt. Posset quidem differri exequu-  
tio propter justas causas, sed non acceptatio  
& præparatio animi ad exequendam Dei vo-  
luntatem, cum perinde periculum sit ne un-  
quam fiat, si sic retardetur, atque si non esset  
deliberatum de illa Dei voluntate cognof-  
cenda.

Si sustinero, inquit Job, id est, si tardava-  
ro: infernus domus mea est. O quale verbum  
& quam diligenter expendendum. Primò  
quidem intelligi potest de ipso loco tormen-  
torum, qui certe tam timendus est, si non fiat  
Dei voluntas, quam certum est nullam esse  
salutem non facienti voluntatem Dei. Secun-  
dò domus, id est, mansio, status exterior vitæ,  
infernus est retardanti, & non facienti volun-  
tatem Dei, nam omnia inordinata, ut dixi,  
confusa, sulque deque versa, ibi nullus ordo sed  
sempiternus horror inhabitat. Tertiò, domus  
interior est conscientia, & est infernus ille in-  
ferior de quo David, eruisi animam meam ex  
Ps. 85. inferno inferiori, talis vero domus est Cuncta-  
tori, cum undique stimuletur & quibusdam  
dubiorum atque angorum aculeis constri-  
gatur. Expectabam bona & venerunt mihi ma-  
Iob 30. la, præsolabar lucem, & eruperunt tenebra:  
quia tu scilicet nimis expectasti. Hæc etiam  
atque etiam refer & revolve quod supra di-  
ctum est ex Propheta: omnes in cade corruerunt  
Is. 61. pro eo quod vocavi, & non respondistis, locutus  
sum & non audistis. Nam si quis unquam in  
tumultu, vel in seditione aut repentino casu  
pereat, ille est ordinariè, qui bonum distulit  
quod jam facere debuisset. Cave: & Memor  
Ecclesi. 16. esto, quoniam mors non tardat, & testamentum  
inferorum quia monstratum est tibi. Id est, de-  
cretum mortis, & infausta mortis, ni caveas.  
Ac tandem:

Quo longius differs, difficultatem difficilium  
colles.

Vide in 1. parte, Ferià 2. hebdom. 4. post E-  
piphaniam.

CONSIDERATIO TERTIA.  
QVO DIE SUSCIPITUR ADMINISTRATIO  
status, ut perfecte secundum Deum expleatur: vel  
quocunq; die, de officio rite administrando cogitetur.

Haynesvæ Pars II.

Kkk

Dicite

Dicite Archippo, vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas. Coloss. 4.

VERITAS PRACTICA.

Sicut à Domino querendum est officium: ita in officio querendus est Dominus.

*Sensus planior est, quod, quâ ratione probatur ministerium à Domino esse accipiendum, eadem prorsus concluditur, ejus administrationem ad Dominum esse referendam.*

*Ratio est, quod ideoque præcipue à Domino Deo ministerium est accipiendum, quia Dominus est, & sic Dominus vitæ nostræ agnosci debet & coli.*

*Sed hac eadem ratio exigit, ut omnis administratio ad eum referatur.*

*Ergo a que est referenda: & sicut à Domino querendus fuit status seu officium, sic in officio exercendo querendus est Dominus; non vanus honor, non mundi gloria, non emolumentum proprium, aut quid terrenum simile.*

I. PUNCTUM.

In. 2. f. 118.

**V**erissime & apertissime S. Augustinus de omni negotio ac potissimum de officio suscipiendo; Magni, inquit, inter est eum aliquid boni facimus, cuius rei contemplatione facimus. Officium quippe nostrum non initio sed sine pensandum est, ut scilicet non tantum si bonum est, sed præcipue si bonum est propter quod facimus, cogitemus. Hoc oculos quibus contemplantur, quare facimus quid facimus, averti posuit (David) ne videant vanitatem, id est, ne hanc attendat propter quam facit eum boni aliquid facit. Et post multa de hac vanitate seu amore laudis humanæ sic pergit: Porro si vanum est propter hominum laudes bona facere, quando vanius propter adipiscendam pecuniam, vel augendam sive retinentiam. & si quid huiusmodi est commoti temporalis quod nobis accidit extrinsecus: propter ipsam denique temporalem salutem non debemus facere bona opera nostra, sed potius propter illam quam speramus æternam, ubi bono immutabili fruamur, quod est ipse Deus.

Ex quibus sanctissimi Patris verbis collige, quod, nisi advertatur initio suscipiendi muneris aut alterius boni operis faciendi, statim adrepunt animos tres illi concupiscentiæ naturalis motus, Vanitas, Voluptas & Commoditas, in illis que tota intentio operis desigitur &

depravatur. Quamobrem id maximopere præcavendum, & dilcendam hodie, quod si ministerium à Domino est accipiendum, ejus quoque administratio prorsus ad ipsum est referenda. Eadem quippe est utriusque ratio, ut attentè consideranti patet. Quid est enim, quod à Domino ministerium seu officium quodlibet sit sumendum, nisi quia Dominus sic vitæ nostræ Dominus agnosci debet & coli? Nam cum revera simus ejus servi & filii, atque nostræ servitutis & observantiæ testimonia & notas proferre debeamus, quoties sese occasio dederit, & maximè quoties postularit, id autem postulet & ratio suadeat, ut in officio suscipiendo, quod est tanti momenti ad reliquam vitam, ejus voluntatem & ordinationem spectemus; profectò ista subiectio & dependentia denegari non debuit, cum à filiis deferatur parentibus, & nos longè plura Deo quam filii progenitoribus debeamus. Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit & creavit te? Unde si quis huic tam debito deesset officio, tantam incurreret ingratitude, ut in eam provocentur cæli & terra. Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est: filios enutrivit & exaltavit, ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepè Domini sui, Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.

II. PUNCTUM.

**S**ed hac ipsa ratio exigit, ut ad Deum omnis administratio nostri officii referatur. Sic enim, verè Dominus vitæ nostræ agnosceret, cum non modò præcipuam sed singulas ejus partes in ejus obsequium impendemus; Per singulos gradus meos pronuntiabo illum, ajebat Job: sic verè à nobis id exigit, ut, cum nobis non simus nati, non nobis etiam laboremus & operemur, sed ipsi à quo toti sumus & pendemus, cui totum debemus quod sumus, & cui totum postquam reddiderimus, servi semper inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. En omnes creaturas nostro ministerio deputat, quia & Angelos nobilissimas illas intelligentias, nostræ salutis & incolumitatis ministros ordinavit, ut sic illi obsequi, nosque totos illius obsequio mancipare disceremus.



mus, quale id probrum esset non deferre Deo, quod creaturæ nobis non denegant ! Audi quid omnes loquantur apud Hugonem Victorinum ; Vide homo, dicit mundus, quomodo amavit te qui propter te, fecit me : Servio tibi quia factus sum propter te, ut servias illi qui fecit & me & te : *me* propter te, & te propter se : si sentis beneficium, redde debitum ; si accipis benignitatem, redde charitatem. Adde quod Creator ipse & Dominus plus tibi quodammodo servit quàm tu ipsi : in ipso enim ita vivimus, movemur & sumus, ut sine ipso ne pedem, ne manum movere possimus ; sine ipso nihil profusus boni nec agere nec cogitare. Non enim sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Quid ergo non mereatur ex quibuslibet ministris & vitæ nostræ partibus, qui primus, & præcipuus ejus operator exiit ? An verò aliquid ipse agat nisi propter se ? Potestne Deus alium habere finem quam seipsum ? Propter me, propter me, faciam, & gloriam meam alicui non dabo. Ego ipse, ego primus, & ego novissimus. Si autem nos cum ipso & ille nobiscum una eademque simul operatione convenimus, quid decentius, quid rationabilius, quam ut nos in idem una etiam eademque profusus intentione cocamur ? ac proinde sicut ipse nihil quam se solum aut propter se alia, sic nos nihil aliud præter ipsum aut propter ipsum attendamus ? Nemo nostrum sibi vivit & nemo sibi moritur, ait Apollolus, sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, ut mortuorum & vivorum dominetur.

Ab. 17.  
2. Cor. 3.

If. 48.

Rom. 14.

Serm. 20.  
in Cant.

esse nisi propter te, pro nihilo est & nihil est. Propter te metipsum Deus fecisti omnia, & qui vult esse sibi & non tibi, nihil esse incipit inter omnia. Quod & graviter S. Cyprianus, ipse de servo tuo exigis servitutem & h. mo hominem tibi obedi re compellis, & cum sit vobis eadem fors nascendi, condito una moriendi, corporum materia consimilis, animarum ratio communis ; nisi tibi pro arbitrio tuo serviat, nisi ad voluntatis obsequium pareatur, imperio, us & nimis servitutis exactor flagellas, verberas, fame sitis, frequenter & carcere affligis & crucias ; & non agnosces miser Dominum tuum, qui sic exerceas in homine dominatum !

Contra Demetriid.

### III. PUNCTUM.

Sicut ergo à Domino quarendum est officium, ita in officio quarendus est Dominus : leu quod idem est, qua ratione ministerium est à Domino accipiendum, eadem prorsus eius administratio est ad Dominum referenda ; cum ut est Dominus non modò in præcipua vitæ parte aut aliquo ministerii gradu sit à nobis colendus, sed in singulis quibusque partibus : adeo ut toti ejus & voluntate & effectu sumus, sicut debito toti sumus. Reddite que sunt Dei Deo, CORPUS, animam, voluntatem, inquit S. Hilarius ; ab eo enim hæc profecta, atq. aucta retinemus : proinde condignum est ut ei totum reddant cui debere se recolunt & originem & profectum.

Matth. 22

Et certè quid prodesset tantopere deliberare in statu deligendo, si cum statum accepimus & administramus, non Deum sed vanitatem, commoditatem aut quid aliud infimum quæreremus ? Nonne propterea vel maxime cautio est adhibenda in electione status ne si Deum non consulamus, ut dictum est, ex vanitate, vel voluptate, aut aliis concupiscentiis in officium aliquod temere nos injiciamus, unde illa detrimenta quæ considerata sunt importarentur in totam vitam, imò in totam æternitatem ? Jam verò, esto elegeris qua par est religione & ratione statum tuum, nec quemquam acceptaris nisi quem putas velle Deum : quid te juvabit hæc electio aut devotio, si, dum administras statum, id administratione sequaris quod electione fugisti ? Eligendo statum seu officium, cavebas concupiscentiam : & in exercendo post officio non times ipsam consecrari ? Quale hoc porcatum & crimen putas nisi prævaricato-

Gal. 2.

rem te constituere, cum qua destruxisti rursum aedificas? Sic aperte Apollolus, qua de re supra fusissimè, & modò etiam faris, si quod idem urget expendas. *Miror quod sic tam citò transferrimi ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi.*

Ibid. 1.

Nonne idem Deus & idem Dominus post electum & acceptatum statum atque in ipsa electione & acceptatione status? Nonne idem debitum servitutis tuæ, ut ne administres illum tuum statum nisi propter ipsum, sicut ne statum eligas nisi per ipsum? Nonne una & eadem ipsius voluntas est, ut ab eo pendeas, illique uni vivas sive in inchoando sive in producendo aut perficiendo quodlibet munere? An una pars vitæ & muneris illius est & non alia? Num locus aliquis ubi non sit præ-

lens: aut tempus aliquod ubi non sit Deus & Dominus tuus? Cur ergo tu alius, cur tu à te in alium translatus, aut potius cur à Deo in te ipsum male immutatus & perversus? Responde si vales, aut si non vales, cave sic interrogetis, & vide ministerium quod accepisti in Domino ut illud impleas, nihil aliud in eo spectando quam quod ipse spectavit. Quidquid proponat mundus, quidquid suggerat concupiscentia, semper illud Propheta vigeat & prævaleat, qui postquam dixit: *Inimici hominis domestici ejus. Ego autem, inquit, ad Dominum afficiam, exspectabo Deum Salvatorem meum.* Tota de his est hebdomada 5. post Epiph. in 1. parte: ubi & vide quarto Januarii. Et in 3. parte, Feria 6. hebdomadæ nonæ. Necnon suprâ Die 2. 4. Februarii.

Coloss. 4.

Mich. 7.

## CONSIDERATIO QUARTA. DE ORDINANDO STATU, SI FORTE sit inordinatus.

*Scrutemur vias nostras, & quaramus & revertamur ad Dominum. Thren. 3.*

### VERITAS PRACTICA.

Revocanti hominem Deo ab errore viæ suæ, non obsequi pejus est, quam primò vocantem ne erraret, non sequi.

*Ratio est, quia quod majori Dei bonitati opponitur, illud censendum est pejus.*

*Sed major est bonitas Dei, revocare errantem quam primò vocare n. erret.*

*Ergo tunc pejus est non illi obsequi.*

### I. PUNCTUM.

**I**nordinatum statum hic dicimus, qui contra vel præter ordinem & dispositionem Dei est susceptus, uno ex his tribus modis. Primus cum nullo modo consultus est Deus, sed humano tantum consilio de re deliberatū est, unde acciderit alium forte statum fuisse electum quem noluisse Deus: *Qua nolui, elegerunt.* Secundus, cum in suscipiendo statu aliqua injustitia intervenit, ut sunt contractus dolosi, simoniæ, fraudes, circumventiones, fallaciæ circa ætatem, capacitatem & similia de quibus dicitur: *Non est veritas non est*

If. 66.

*miseriordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum & mendacium & homicidium & furtum & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit, propter hoc lugebit terra. Tertius, cum sola vel ambitione, vel terrenæ commoditatis respectu, aut sensualis delectationis motu res tota transacta est, concupierunt concupiscentiam. Sicut enim terrena & humana vacatio bono & laudabili fine suscepta, laudem meretur & merito salutis æternæ deseruit, sic etiam Ecclesiastica licet & spiritalis, si vitiosa & culpabili intentione assumatur, inordinata est. Sic expressè S. Augustinus, *finis quo referuntur ea quæ facimus, id est, propter quem facimus quidquid facimus, si non solam inculpabilem sed etiam laudabilem fuerit, tunc etiam facta nostra, laude aliqua digna sunt: sin illi merito culpa. ar, quem spectamus & intuemur cum in aliquo versamur officio, id quoque officium nemo improbandum vituperandumque dubitaverit. Quomodò verò status sic inordinatus ordinari potest, dicitur aptius tertio puncto, postquam animus ad debitum ordinem revocandum exarserit consideratione veritatis propostæ. Sic igitur habe & diligenter**

Osu. 4.

Ps. 105.

L. 2. de

Morib

Mannich.

genter expende, *Quod revocanti hominem Deo ab errore via sua, si ve ab inordinato statu, pejus est non obsequi quam primò vocantem, ne aliquo ex tribus dictis modis erraret, non sequi.*

Ratio est evidens, quia quod majori Dei bonitati opponitur, illud censendum est pejus. Cum enim malum sit oppositio, quæ dicitur privativa, boni; certè quo bonum illud est melius, eò peior est etiam ejus privatio. Et licet omne peccatum opponatur bonitati divinæ, atque ex ea parte sit grave malum, quia tamen bonitas illa major ac major apparet in nonnullis casibus, tunc humana malitia, quæ illi resistit, eo peior censenda est quo bonitas major. Sic peccata in Spiritum sanctum, id est, in divinam bonitatem idcirco graviora dicuntur aliis & eorum remissio longè difficilior. *An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum? DVRA cervix & incurvatus est cor-dibus & auribus vos semper spiritui sancto resistis! NON habebit remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti.*

Matt. 10. *Ad. 7.* *Marci 3.*

## II. PUNCTUM.

*Sed major est bonitas Dei, revocare errantem quam primò vocare, ne erret.*

Certè magna est bonitas primò vocare, prævenire, mentes excitare, *Si quis est parvulus, veniat ad me. BONITATEM fecisti cum servo tuo.* Sed longè major apparet illa bonitas quando jam semel aut pluries contempta fuit, quando jam vocanti est illi opposita via, quando jam status præelectus, quando jam statuta vitæ degendæ ratio: quando jam notum fecit nobis Sacramentum voluntatis suæ, ut vocat Apostolus, & nos nulla ejus ratione habita, facientes voluntatem carnis & cogitationem, nos tamen requirit, & revocat, *Redite ad cor, convertimini filii reverentes, dicit Dominus, quia ego vir vestrorum Ah tunc certè, divitiæ sunt & thesauri bonitatis*

*Sap. 12.* *O quam bonus & suavis est Dominus spiritus tuus, ideoque eos, qui exerrant corripis, & de quibus peccant, admones, ut relicta malitia credant in te Domine! Videlicet hanc potissimum à Sapiente poni notam bonitatis divinæ, quod errantes requirit & corripit: sic agnoscebat sanctus Augustinus: Tu Domine licet in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen es in operibus pietatis. Si peniteo, parca: si revertor, suscipis: diu differo, prestolaris: revocare erran-*

*tem: in vitas reuignantem, expectas torpentem, amplexaris redeuntem. Hoc est certè mirum! Vel tam bonum esse patrem erga tam malos filios: vel tam malos esse filios, erga tam bonum patrem.*

## III. PUNCTUM.

*Sic igitur revocanti hominem Deo, ab errore via sua, non obsequi pejus est, quam primò vocantem, ne erraret, non sequi.* Quia major est bonitas Dei sic revocare hominem: & major est malitia hominis sic majori Dei bonitati resistere. Quod utrumque Jeremias luculentè describit; *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, & suscipiam te. Ergo saltem amodò voca me: pater meus, aux virginitatis mee tu es. Nāquid vidisti quæ fecit mater Israel? ab-ii sibi in super omnem montem excelsum, & sub omni ligno frondoso, & fornicata est ibi. Et dixi: cum fecisses hæc omnia, ad me revertere, & non est reversa. Quasi diceret, in hoc apparet maximè ejus malitia, quod non reversa sit, sicut apparebat mea bonitas cum illam revocarem.*

Sic paucis sanctus Anselmus contra induratos, quos ipso dæmone peiores esse sic ostendit à bonitate divina cui resistunt: *Diabolus persistit in malitia, Deo reprobando; ego v. rō Deo revocante. Ille obduratur ad punientem, ego ad blandientem. Et si uterque contra Deum, ille contra non requirentem se, ego contra morientem pro me. Ecce cujus imaginem horret am, aspicio in me horribiliorem.* Potestne aliquid pejus & deterius cogitari? potestne verò aliquid melius & opportunius representari ad ordinandum statum si fortè sit inordinatus, quàm hæc mali extremitas, quæ vel incurrenda est, vel ordinandus status cum gratia quæ se offert in hunc finem?

Legenda essent quæ fusiùs habentur in libris de ordine de hac materia, sic verò paucis triplex inordinatio de qua primo puncto dictum est, ordinari potest. Primò si in eligendo statu Deum omnino non consulisti, agnosce culpam, agnosce supremum ejus dominium, cui hoc erat deferendum ut temerari momenti non aggredereis sine ejus consilio & nutu. Subjice te illi in hoc ipso tuo statu. Et quidem si deponi potest, ostende te ad id paratum si nonis Deum ita velle: aut si

Kkk 3 deponi

deponi non potest, deponere saltem illam libertatem qua es abusus, ut inconsulto Deo illum eligeres & exerceris. Non ita deinceps, non ita ut voluisti, sed pure & nudè ut vult Deus cujus voluntas agnoscitur, & colitur in illa necessitate seu impossibilitate mutandi status. Quod enim aliter fieri non potest, ad Deum referri debet; & dum ex necessitate fiet virtus, fiet ejus voluntas, & jam ordinatus erit status quando sic eum ex ejus voluntate nec aliter exercebit. Sic aptè sanctus Bernardus cuidam inordinato suadet ut dicat, *malè quidem egi sed factum est, & jam non potest non fieri; quis scit si hoc mihi Deus expedire prouiderit, & de malo meo ipse qui est bonus, bonum mihi operari voluerit. Malum ergo puniat quod ego feci, bonum autem maneat quod ipse providit. Nostris quippe inordinatis seu voluntatibus seu actionibus novit bonitas Dei uti, semper quidem rectè in sui ordinis pulchritudinem; sapè etiam piè in nostram utilitatem.*

Ep. 87.

Secundò, si quo contra iustitiam pecca-

tum est, reparetur quo efficaciore fieri potest modo, apud Deum & homines. *Nihil agas in operibus iniustitia. ATTENDITE ab omni iniquo.* *Eccl. 10. & 17.*

Tertiò denique corrigantur pravæ illæ intentiones ex concupiscentiis ortæ, & reipsa assumantur rectæ & puræ, sicut supra dictum est secundum Dei voluntatem, ut quod intendit Deus ita planè fiat. *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. COGITAVI vias meas & converti pedes meos in testimonia tua. Sic cogita, sic statue, sic converte pravos affectus tuos, & statum ordinasti. O facilitatem divinæ bonitatis, & pervicaciam humanæ mentis, si tantæ bonitati se rursus opponit! Ecce ego quia vocasti me. Ecce ego quia vocasti me. Vide in fine 3. partis, de Renovatione: de qua est & illa Veritas in i. parte, die 7. Januarii.* *1. Reg. 3.*

Non aliud sed aliter.

## CONSIDERATIO QUINTA. IN PONTIFICIS AUGURATIONE seu Consecratione.

*Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret. Hebr. 5.*

### VERITAS PRACTICA.

Dum consecratur Pontifex sic affectus esse debet, ut omnes affectus habeat consecratos.

*Ratio hac est inter alias, quia sic affectus & dispositus esse debet Pontifex dum consecratur, ut tunc puram & rectam intentionem habeat. Sed nisi omnes affectus suos habeat consecratos, tunc actu puram & rectam intentionem non haberet.*

*Ergo sic affectus esse debet dum consecratur, ut omnes affectus habeat consecratos & puros, sicut ipsam intentionem. Quod certè rarum est nisi diligenter advertatur.*

### I. PUNCTUM.

Iosue 3.

**H**odie incipiam exaltare te, coram omni Israël. Sic deus Pontifici consecrando,

quod olim Josue. Nam quantacunque nobilitate, scientia, vel autoritate, vel cæteris animi, fortunæve donis sit commendatus Pontifex, nulla re tamen ita exaltatur atque Pontificia dignitate, qui est supremus Ecclesiasticæ Hierarchiæ gradus. Et hæc quidem exaltatio tanta est, ut Pontifici non sit parum timendum & cavendum ne hinc animo nimis exaltetur, & ne fortè exulset in superbiis suis illa exultatione, quæ à sancto Jacobo maligna dicitur.

Quam obrem audiat Sapientem; *Ne in die honoris tui extollaris:* audiat Apostolum, *Christus non clarificavit semetipsum ut fieret Pontifex: audiat Veritatem sibi propositam: Dum consecratur Pontifex sic affectus esse debet, ut omnes suos affectus habeat consecratos. Audiat denique & expendat rationem, quæ inter plures alias modò offertur. Quia dum consecratur, tunc quantum fieri poterit cum gratia puram & rectam debet habere intentionem, quam* *1ac. 4. Ecclesi. 11.*

quam habere non poterit nisi suos omnes affectus habeat consecratos & puros. Hoc itaque primò præmittendum & declarandum est, quàm sit Pontifici necessaria in ipso consecrationis actu, pura & recta intentio, non modò ut consecratur in Pontificem, sed ut consecratur Pontifex in illum sanctum finem, qui à Christo prærenditur.

Certè, si nulla unquam humana actio privati suo recto debito sine debet, quantò minus ista qua consecratur Pontifex, quæ cum sit excellentissima, tantò dolentius deploranda esset ejus jactura meriti, quæ à defectu finis & intentionis incurreretur. *Non defraus-*

*Eccles. 14. deris à die bono.*

Adde, quod cum sit prima quædam actio, unde multæ in reliquam vitam & in suo genere multum excellentes pendent, velut à fonte rivi aut à radice rami: profectò quanti refert rivos esse puros, & ramos virentes ac fructuosos, tanti planè interest præcipuam finem & radicem habere rationem. Rectè enim

*Mor. 17.*

sanctus Gregorius: *omne quod in actione sequitur, èd purum mundumque non exit, quo hac ab origine perituratur.*

Quod quidem in hac præcipue actione tantò magis timendum est, & tantò magis procurandum ut re ipsa, actu pura & recta sit intentio, quantò ex hujus actionis objecto natura prona est & facilis sibi prava fines statuere. Quodnam est hujus actionis seu consecrationis objectum in quo naturalis desigis solet obtutus? Nonne est ipsa Pontificia dignitas? At nonne in hac dignitate omnia insunt, quæ naturam depravatam commovere possint ad depravandum actionis finem? Dic enim quænam illa sunt quæ solent finem in nostris corrumpere & depravare operibus? Nonne hæc sunt, honor, commoditas seu facultas, delicia, autoritas, ministrantium turba, & similes concupiscentiæ naturalis fomites atque illecebræ. At nonne illa omnia in dignitate Pontificia reperiuntur? nonne illa ob oculos facillimè observantur? nonne placent? nonne alliciunt? nonne blandiuntur, & ita mentem naturaliter occupant, ut, nisi oculi avertantur ab hac vanitate, vanitas excæcet oculos & finem actionis planè depravet? At verò ejus est ab hac vanitate oculos avertere, nisi pura cum Dei gratia intentionis? Aut quomodo pura hæc intentio talem exhibebit vanitatem, nisi actu & re ipsa tum

formetur, tum purificetur, tum dominetur intentio, cum alioquin pravum & distortum sibi natura corrupta proponeret finem & omnem corrumpere actionem?

Apertè rursus sanctus Gregorius ad illa Domini verba; *Lucerna corporis tui est oculus tuus: Quid per oculum, inquit, exprimitur, nisi opus suum præveniens cordis intentio? qua priusquam se in actione exercent, hoc jam quod appetit contemplatur.* Notanda valde verba, quibus manifestè ostenditur, quod, sicut in proprio pontificiæ dignitatis exercitio, multa sunt quæ naturali appetuntur affectu, sic in prima dignitatis susceptione, illa ipsa sese repræsentant, quæ amantur, & quorum intuitu suscatur oculus, nisi diligenter advigilet. Unde infert sanctus Doctor: *Vigilanti igitur cura intentione nostra pensanda est, ut nihil temporale appetat, tota se in soliditate aternitatis figat, ne si extra fundamentum actionis nostra fabrica ponitur, terra dehiscere solvatur.* Tum pergens in explanando textu libri Job ad illa verba, *super quo bases illius solidatae sunt: BASE S, inquit, uniuscujusque sunt anima, intentiones sue. Nam sicut fabrica columnis, columna autem basibus innituntur, ita vita nostra in virtutibus, virtutes verò in intima intentione subsistunt. Et quia scriptum est, fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus: tunc bases in fundamento sunt, cum intentiones nostra in Christo roborantur. Incassum verò alta super se bases adificia erigunt, si non ipsa in fundamento solidata consistunt: tantoque graviora ruina super se damna adificiant, quantò altiora adificia extra fundamentum portant.*

*Math. 6.*

*L. 28.*

*Mor. c. 139*

*Job. 38.*

O verba, verba nunquam satis ponderata: quasi diceret, cum Prælatura sit altissima dignitas, si absque pura intentione quæ est ejus fundamentum, suscipitur, nihil aliud expectari potest quàm ingens ea ruina, quæ accideret excelso ædificio male fundato. Unde tandem concludit: *Non ergo pensandum est, bases quid sustinent, sed ubi sustinentur, quia profectò humana corda divinitus perserutantur, non solum quid faciunt sed quid in operibus quarunt.*

## II. PUNCTUM.

*Sed nisi suos omnes affectus consecratos & puros haberet Pontifex dum consecratur, tunc actu purum & rectam intentionem non haberet.*

*Cura*

Cum enim puritas intentionis, ut dictum est, in eo sita sit, ut pure Deum spectet, aut si quid aliud spectetur, pure referatur ad Deum, nec ut in se apperibile est, appetatur: profecto hinc aperte patet tam puros debere esse affectus, quam ipsam intentionem, quæ nihil aliud videtur esse quam ipsa interni affectus expressio & efformatio. Et nunc quæ est expectatio mea? Nonne Dominus? & substantia mea apud te est. Neque aliter ullo modo intelligi potest, quod quis in uno actu vel objecto pure velit placere Deo, nisi simul intelligatur nihil in eo animo esse contra eundem actum vel objectum, quod hanc voluntatem placendi Deo violat & corrumpat: tunc enim sibi contradiceret & mentiretur & Deum irideret. Nisi vero sint puri affectus Prælati, dum consecratur, erit aliquid quod opponatur illi voluntati quam præ se fert placendi Deo, erunt impuri & inordinati affectus circa honores mundi, circa commoditates, blanditias, aut quidquid simile palpat & detinet animum: qui quidem affectus tam directe pugnant cum pura intentione seu voluntate serviendi & placendi Deo, quam impuritas cum puritate, quam caro cum spiritu, quam natura corrupta cum gratia. Quæ enim participatio iustitia cum iniquitate! aut quæ societas luci ad tenebras! *NUNQUID* fons de eodem foramine emanat dulcem & amarum aquam? Nunquid potest ficus uvas facere, aut vitis ficus? sic neque salsa dulcem potest facere aquam, ait sanctus Jacobus: perinde ac si diceret, non potest impuritas cordis puram facere intentionem; pura intentio est charitas, & charitas est de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta. *MUNDA* prius quod intus est, ut fiat id quod de foris est mundum. *COR* mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis: *VIDE* ordinem, inquit sanctus Gregorius, primo cor mundum, deinde spiritum rectum. Prius enim abrenuntiandum est sibi, omni peccato, & omnis à corde vitiorum seditas eliminanda, ut omne quod agitur aut dicitur, eo purum in conspectu Dei ac lucidum appareat, quo ex bona intentionis origine quasi de puro quodammodo fonte manat. Quomodo enim poterit esse perspicuum quod in ipsa origine fuerit vitiatum? scriptum est enim, bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala.

Ps. 38.

2. Cor. 6.  
Iac. 3.1. Tim. 1.  
Matt. 23.

Ps. 50.

## III. PUNCTUM.

**D**um ergo consecratur Pontifex, sic affectus esse debet & dispositus, ut omnes suos affectus consecratos & puros habeat; Quia tum puram actu debet habere intentionem serviendi & placendi Deo, quam non potest omnino talem habere si simul haberet impuros sibi placendi & sua conquirendi affectus. Unde tam puri sint necesse est cordis affectus, quam puram habere voluerit mentis intentionem. Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, inquit hoc sensu Dominus, ut quæ procedunt de ore, sint tam pura aut impura coram deo, quam purum aut impurum cor erit. Quidquid dicas, cor intuetur Deus. Et sicut intentio placendi Deo, quam debet habere Pontifex, non est tantum pro tempore quo consecratur, sed quamdiu erit Pontifex in omnibus obeundi sui muneris partibus: ita puritas affectuum, quam simul habere debet, non est pro illo tantum actu consecrationis, sed pro reliquis vitæ actibus, & his præsertim quos in sancto suo ministerio exercebit. Nempe ut non se quærat in illis, sed Christum: non sua, sed suorum salutem: non suam sed Domini sui gloriam. Nam ut aptè ait sanctus Augustinus; Qui hoc animo pascunt oves Christi, ut suas velint esse non Christi, se convincuntur amare non Christum, vel gloriantur, vel dominantur, vel acquirunt cupiditate: non obediendi, & proximo subveniendi, & Deo placendi charitate. In quibus sancti Patris verbis advertite pravos affectus, qui gloriantur vel dominantur vel acquirunt cupiditate comprehenduntur, sic opponi puræ intentioni, quæ obediendi & proximo subveniendi & Deo placendi, charitate exprimitur, ut nisi pravi illi affectus purificentur & consecrentur, pura non possit esse intentio.

Quod idem alibi sanctus Doctor ex ipso Episcopi ethymo seu nomine, graviter & luculenter confirmat: In actione, inquit, non amandus est honor in hac vita, si ve potentia, quoniam omnia vana sub sole, sed opus ipsum quod per eundem honorem vel potentiam fit, sit recte atque utiliter sit, id est, ut valeat ad eam salutem subditorum qua secundum Deum est. Propter quod ait Apostolus: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; exponere voluit quid sit Episcopatus, quia nomen est operis non honoris. Gratum est enim atq; inde ductum vocabulum, quod

Matth. 15.

1. Reg. 16.

Tract. 11.  
in Iohn.

L. 9. de Civ. Dei.

c. 19.

quod ille qui praeficietur, sic quibus praeficitur superintendit, curam eorum suscipit gerens; & quippe super, *αὐτῶν* verò intentio est: ergo *ἐπινοεῖν* si velimus latine, superintendere possumus dicere: ut intelligat, non se esse Episcopum, qui praesse dilexerit, non prodesse.

1. p. Past.  
o. 8.

Sic conformiter sanctus Gregorius: *Plerumque qui praesse concupiscunt ad usum sua libidinis, instrumentum Apostolici sermonis acci-*

piunt. quo ait: *Siquis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, qui tamen laudans desiderium, in pavorem vertit protinus quod laudavit, cum repente subiungit: oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse; ac si aperte dicat: laudo quod quaritis, sed prius discite quid quaratis, ne dum vosmetipsos metiri negligitis, tanto facior vestra reprehensibilitas apparent, quanto & cunctis conspici in honoris arce festinatis.*

## CONSIDERATIO SEXTA, QUO DIE SACER ORDO SUSCIPITUR.

Sancti eritis, quia ego sanctus sum. Levit. 11.

VERITAS PRACTICA.

In qua sanctitate ordinandus debet esse, debet ordinatus semper esse.

*Sensus non est de praefixo gradu sanctitatis, sed de ipsa, quam vocant, essentiali sanctitate, quae tam necessaria est ordinato, quam ordinando.*

*Ratio petitur à dignitate sacri ordinis quae tanta est, ut non debeat suscipi nisi in aliqua sanctitate.*

*Sed haec eadem ratio seu consideratio dignitatis valet, ut in illa sanctitate saltem essentiali sit semper ordinatus, in qua est ordinandus.*

*Ergo indubitata veritas, ut in qua sanctitate ordinandus debet esse, sic debeat ordinatus semper esse.*

### I. PUNCTUM.

1. Pet. 1.

**L**icet ad omnes Christianos haec verba Levitici de sanctitate transferat sanctus Petrus; tamen quia primò dicta sunt ad Levitas seu Sacerdotes, his etiam maximè comperunt, & his praesertim incumbit sanctitatem excolere, *incensum enim Domini & panes Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt.* Unde sanctus Chrysostomus, *Neesse est, inquit, sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis caelis collocatus, inter caelestes illas virtutes mediis staret.*

Levit. 21.  
In libris de Sacerd.

Sanctitas porò in tribus praecipuè consistit, quae ordinandi solent afferre ad sacros ordines; Primum est gratia sanctificans, nempe extra statum peccati mortalis sunt, &

Haynovsuo Pars II.

idcirco ante consentur. Secundum, castitas quae dicitur sanctimonia, quia scilicet retrahit ab his cupiditatibus, quae immundam faciunt animam, & hujus votum implicitum & tacitum faciunt, quorum sacris ordinibus initiantur.

Tertium denique, devotio seu devotæ mentis oblatio, quam praese ferunt ordinandi ad specialem cultum & ministerium Dei. Sic ergo sancti sunt cum ordinantur; sed ut constanter sic sancti permaneant, admonentur verbo Dei, & veritate proposita, quae sic declarata, diu multumque debet expendi.

Ratio cur sanctitas requiratur ad suscipiendos sacros ordines haec est praecipua, quòd tanta sit dignitas & meritum Sacramenti Ordinis, ut non aliter quam in sanctitate, id est, in tribus illis quae dicta sunt, suscipi debeat. Confertur enim in illo Sacramento character indelebilis, & potestas ex se perpetua, circa corpus Christi reale & mysticum, id est, circa sanctissimam Eucharistiam, quae est verum & reale corpus Christi, cujus consecrandi facultatem sacerdotes habent; & circa fideles Ecclesiae, quae est mysticum ejus corpus, quorum peccata retinendi & remittendi potestatem accipiunt. quae certè dignitas patet quam sit eminentis quam caelestis quam divina, & qualis ipseus Christi Domini Salvatoris cujus ministri sunt Sacerdotes in tam factis & tremendis mysteriis.

Ac proinde sicut ille sanctus est & illi sancti sunt; nam cum arctiorem quandam simul affinitatem contrahant, simulque uniantur

ur per modum unius Sacramenta conficiant; profecto ad istam unionem & ad operationem tam sanctam, qualis est Sacramentorum Eucharistiæ & pœnitentiæ confectio, non potest non magna requiri sanctitas. Etenim si ad suscipiendam legem in tabulis scriptam iusti sunt Israëlitarum per triduum variis pietatis officiis & virtutum exercitationibus sanctificare se & præparare; quanto magis ad suscipiendum illud Sacramentum, quo ad alia etiam angustiora potestas confertur: ò dignitatem ipsis Angelis superiorem! ò sanctitatem ipsis etiam beatis Spiritibus majorem si fieri posset, exoptandam! At saltem qualis afferri potest, non negligatur.

Exod. 19.

## II. PUNCTUM.

**S**ed hac eadem ratio dignitatis valet, ut in illa saltem essentiali sanctitate sit semper ordinandus, in qua est ordinandus.

Facile enim conceditur afferendam esse sanctitatem, & vix ullus est ordinandus, qui non ita sanctus accedat; verum an ita perseveret, aut sibi etiam persuadeat ita perseverandum esse, dubium facit tanta peccandi facilitas, quæ in ordinatis cernitur, petinde ac si nulla post ordinationem seu consecrationem religione tenerentur. Polluerunt sanctuaria mea, inter sanctum & profanum non habuerunt distantiam; inter pollutum & mundum non intellexerunt. At verò contra tunc maximè, aut certe tunc ex æquo sancti sint necesse est, aut omnino nunquam necesse est; nam si, ut dictum est, tenentur ordinandi ad sanctitatem propter divinam illam gratiam & potestatem, quæ novam affinitatem & unionem cum Christo Domino contrahunt; cur non ordinati ad eandem sanctitatem tenebuntur, cum eadem potestas eademque affinitas semper maneat, sintque semper velut alii Christi de quibus dicit Dominus, Nolite tangere Christos meos, & si tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Esto non sit novum & distinctum peccatum quòd in peccato sint, sicut distinctum peccatum esset si in peccato susceperant ordinem, nisi cum in peccato etiam suum illum ordinem seu ministerium exercerent: non desinit tamen eadem obligatio peccati evitandi seu sanctitatis conservandæ, quòd eadem ipsa obligationis ratio manifestè valet æquè post atque ante ordinationem, sive

Ezech. 22.

Ps. 104.

Zacch. 2.

ante susceptum ordinem. *Audite me Levita & sanctificamini, mundate domum Domini, auferite omnem immunditiam de sanctuario. Nam ab immundo quid mundabitur?* 2. Par. 29. Eccles. 34.

## III. PUNCTUM.

**I**n qua ergo Sanctitate ordinandus esse debet, debet ordinatus semper esse. Quia eadem ratio dignitatis, quæ in sacro est ordine, sanctitatem ex æquo requirit, sive dum ordinatur sacerdos, sive dum ordinatus est. *Mundamini quæ a fertis vasa Domini;* quanto magis qui estis vasa Domini. Et cum multa ex sacra Scriptura, ex sacris Conciliis, ex Decretis, ex Patribus & ex ratione sint, unde se ad eam munditiam & sanctitatem excitare possint & debeant cum divina gratia; tum verò ex seipsis hoc motivum sumant, cogitando quales primò accesserint ordinandi; quænam eos ratio sic movebat ad dignè accedendum, num eadem modò æquè & magis valeat? An pro ipso tantum tempore quo erant consecrandi sive ordinandi, sanctitatem assumpserant, an pro reliquo vitæ spatio? Respondeant neque dissimulent; si primùm dicunt: sanctitatis fictio est & simulatio, de qua severè Sapiens: *Ne sis incredibilis timori Domini, & ne accesseris ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizeris in labiis tuis. Attende in illis ne fortè cadas, & adducas animam tuam in honorem, & revelet Deus absconsa tua, & in medio synagoga elidat te: quoniam accessisti malignè ad Dominum, & certuum plenum est dolo & fallacia.* Si secundum respondent, cur datam fidem violant? cur infideles se & perfidos Christo faciunt? *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, iustitiam utique. Tu verò homo unanimes, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capielas cibos; in domo Dei ambulavimus cum consensu.* Eccles. 1. Ps. 54.

Quod si timebant novum peccatum suscipiendo sacrum ordinem in peccato, cur non etiam novum timeant, peccando in ordine, vel contra votum castitatis, quod infert duplex peccatum, vel contra quodvis aliud quod infert scandalum, vel quoquo modo peccetur à sacerdote, tantò semper videtur peccati gravius, quanto magis videbatur, minus esse peccandum. Hinc aptè sanctus Hieronymus: *Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis* In c. 43. Ezech.

THINA



ruina eorum si peccent: laetamur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum: non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti meroris de sublimiori corruisse.

1. Pass. c. 2.

Sanctus quoque Gregorius: Hinc quoque scriptum est per Prophetam: Laqueus ruinae populi mei, sacerdotes mali. Hinc rursus de sacerdotibus malis per Prophetam Dominus dicit: Facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis. Nemo quippe amplius in Ecclesia nocet, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet delinquentem. Namque hunc nemo re-

darguere praesumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Indigni autem quique tanti reatus pondera fugerent, si veritatis sententiam sollicita cordis aure pensarent, qua ait: qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, melius erat ei ut ligaretur mola asinaria in collo ejus, & projiceretur in profundum maris. Per molam quippe asinariam, secularis vite circuitus ac labor exprimitur, & per profundum maris, extrema damnatio designatur.

## CONSIDERATIO SEPTIMA. QUO DIE PRIMUM SACRUM Sacerdos offert.

*Mosiam viventem, sanctam, Deo placentem, Rom. 12.*

### VERITAS PRACTICA.

Sacerdos sic cum Christo sacrificet, ut sit ipse sicut Christus, sacrificans & sacrificium.

*Ratio est, quia Sacerdos in ratione ministerii sui, debet se Christo similem reddere, quantum quidem potest cum gratia.*

*Sed potest esse cum Christo simul sacrificium, sicut cum ipse est sacrificans, nec potest melius illum assimilare quam si cum Christo sic sacrificet.*

*Ergo sic cum Christo sacrificet, ut sit ipse sicut Christus sacrificans & sacrificium.*

### I. PUNCTUM.

**Q**uanta dignum preparatione sit illud divinum opus, quod Sacerdos aggreditur, res ipsa loquitur; sed in quo potissimum consistat illa preparatio non ita forte liquet. Hæc certe inter alias aptissima videbitur accuratè meditati, si Sacerdos sic se apert cum gratia, faciendo sacro, ut sit ipse sicut Christus sacrificans & sacrificium. Ratio similitudinis fundatur in ratione ministerii & præsertim illius sacro-sancti quod missa dicitur, & quod, cum indivisim à Christo & à Sacerdote simul exerceatur, debet Sacerdos quantum quidem potest cum gratia se Chri-

sto similem reddere

Idcirco præcipuè Sacerdotes dicuntur filii Dei; *Afferre Domino filii Dei, afferre Domino* Ps. 28.

*filios arietum.* Quia videlicet, ut ait sanctus Basilius in hunc versum, *Verò Dei Filio similes esse debent, qui solus potuit acceptum Patri offerre sacrificium,* & qui Sacerdotes instituit ut idem secum sacrificium jugiter continuarent usque ad finem sæculi. Quapropter Sacerdos ille Dei summi Melchisedech singulariter ab Apostolo dicitur, *assimilatus Filio Dei,* quia præter cæteros Sacerdotes, qui Christum præcesserunt, præcipuam cum Christo retulit similitudinem. At verò quænam erat illa similitudo: quænam illa erant in quibus similes existerent? Hoc est valde observandum, non enim propterea tantum Melchisedech dicitur similis filio Dei, quod panem & vinum obtulit sicut Christus, sed ob multas alias convenientias quæ ab Apostolo memorantur, ut videlicet intelligant Evangelici Sacerdotes sibi satis non esse ad hanc similitudinem cum Christo exhibendam, si duntaxat cum Christo sacrificent in altari: sed quàm ultra potest extendi similitudo, tantum curi debeant cum gratia, ut nihil omittant, quo minus hanc similitudinem plenè assequantur.

Et certè cum tantæ dignitatis sit sacrum illud munus quod obeunt Sacerdotes, dum missam celebrant, quid tandem satis dignum

& satis conveniens tanto muneri facere poterunt? At saltem quod possunt non omitant: ut si quid desit, sit potius potestatis defectus, quam voluntatis. Nonne id æquum?

2. *Maccb.* Nonne ita sentis? Nonne velles posse plura?  
1. at illa saltem que potes, ut ex iis sis, qui corde  
*Exodi 35.* magno & volenti animo Deum colunt, suasque illi primitias mente promptissima atque devota offerunt.

## II. PUNCTUM.

**S**ed Sacerdos potest esse cum Christo simul sacrificium, sicut cum ipso est sacrificans, nec potest melius illum assimilare, quam se se cum Christo sic sacrificet.

Cogitandum hic primò quid sit se sacrificare cum Christo, nempe sibi suisque omnibus inordinatis affectibus velle mori, adeo ut sicut panis in corpus Christi, & vinum in sanguinem convertuntur, aut sicut ipse Christus Dominus se totum immolat; ita planè Sacerdos quantum ad vitam sensualem & animalem totus immoletur, ne jam non defidatis & ductu naturæ corruptæ moveatur, sed rationis & gratiæ divino motu. Sic sanctus Paulinus illud divi Apostoli explicans, *In carne non estis, sed in spiritu: CARO*, inquit, *transit in spiritum non substantiæ commutatione sed vite: quasi diceret, in hoc est sacrificium carnis, non ut caro mutetur in spiritum, sed carnalis vita in spiritualem.*

Et ne putet Sacerdos id esse novum aliquid & nimis sublime, perpendat quod ipse orans in altari dicit, expansis supra Calicem manibus: *Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus, acceptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris; quid est rationabilem esse oblationem? respondet sanctus Thomas, id esse per quam à bestiali sensu exuamur: illudque ipsum quod Apostolus omnibus Christianis commendat, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta. Et rursus: Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Domini. Hoc est seipsam immolare: hoc est sacerdotium sanctum, hoc est offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum, sicut ait sanctus Petrus; hoc est quod tam facile possumus*

*Ep. 4.*  
*Mon. 6.*

*3. p. q. 83.*  
*n. 4. ad 7.*

*Rom. 12.*

*2. Cor. 7.*

*2. Pet. 2.*

cum gratia, quam peccatum evitare: cum in eo perfecte evitando tota sit praxis & executio hujus spiritualis sacrificii.

Sed quod est primum considerandum, nihil restat ex nostra parte quod propius ad hanc Christi similitudinem accedamus; nam præterquam quod ista immolatio, virtutem omnem, atque universam sanctitatem, qua Christo similes reddimur, comprehendit; hoc insuper singulare habet, ut in materia subiecta ten in re de qua est quæstio, similitudo conveniens tota reperitur. Sicut enim efficacia in dicendo magis propria similitudo esset tum Christo predicante; aut suavitas morum cum ipso conversante: sic cum ipso seipsum sacrificante nihil simili<sup>9</sup>, nihil aptius & convenientius quam sacrificium fieri. Hoc est quod innuebat Sapiens ex septuaginta Interpretum versione: *Quando sederis ut comedas cum Principe, diligenter attende quæ apposa sunt ante faciem tuam: & statue cultum in gutturo tuo, sciens quoniam oportet te talia præparare; NEMPE*, ut ait Salazar, *sicut Christus Dominus se hic sacrificat & jugulat, ita oportet te dare totum. Vide hunc Interpretem, & Tr. 2. c. 2. Molinam Cathusianum, qui de his fufus differunt, ex sanctis Patribus. Mentis nostras Dom. 15. & corpora possideat quæ sumus Domine, doni carnestis operano, ut non noster sensus in nobis, sed jugiter ejus proveniat effectus. Sic aptè orat Ecclesia.*

## III. PUNCTUM.

**I**gitur sic Sacerdos cum Christo sacrificet, ut sit ipse, sicut Christus, sacrificans & sacrificium. Quia sic pleniternam quam possit referre similitudinem cum Christo referet, qua quidem similitudine sicut nihil est honorificentius, ita nec quiddam utilius, nec Deo gratius. Sicut in holo: austro arietum & taurorum, & sicut in mollibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie ut placeat tibi: & nunc sequimur te in toto corde. Hoc nempe est sacrificium quod æquivalet omnibus, sic se offerre. Sic porro in fornace loquebantur tres pueri: at quantum verius de spirituali sacrificio sacerdotis, juncto cum Eucharistico dici debet; cum sic revera Sacerdos sequatur Dominum in toto corde, sese immolando sicut Christus se immolat: & sic unum & idem sacrificium fiat ex Christo & Sacerdote, sicut unus ex utroque sit sacerdos & sacrificans. Hoc est verè adorare Deum in spiritu, & veritate,

*Daniel. 3.*

*Joan. 4.*

Serm. de  
natalis  
Domini.

veritate, quemadmodum sancti Patres interpretantur, non modo de reali & incruento sacrificio, quod Christus offert cum sacerdote, sed de spirituali quod sacerdos offert cum Christo. Sic inter alios S. Athanasius: *Veri adoratores, inquit, sunt illi, qui sic vivunt ut ipsi de domibus, de corporibus, de operibus, de verbis, de cogitationibus templa & sacrificia faciant.*

Quanti sit autem meriti sic se offerre, docet S. Augustinus his verbis: *sunt multi qui vorvent, alius pallam, alius oleum, alius ceram ad luminaria noctis, alius ut vinum non bibat per aliquot annos, alius ut jejunia certo tempore faciat, alius ut carnes non comedat: non est istud votum optimum, nec perfectum, adhuc melius volo. Non eligit Deus nec speciem tuam, nec oleum tuum, nec jejunium tuum, sed hoc quod te redemit, ipsum offer, hoc est animam tuam. Et si interroges me, quomodo animam meam, quam ipse habet in potestate, offeram? Respondebo tibi, quomodo: moribus sanctis, cogitationibus castis, operibus fructuosiss, avertendo à malo, & convertendo ad bonum.*

Quam verò sit necessarium Sacerdoti sic se offerre, sic paucis S. Gregorius Nazianzenus: *Nemo, inquit, sacrificio dignus est, nisi qui prius seipsum hostiam viventem & sanctam Deo exhibuerit; quia scilicet nimis indignum & nimis alienum à statu sacrificantis Sacerdotis qui*

sanctam & Divinam illam Christi vitam manibus suis immolet, si suam vilem atque animale vitam mactare nolit. Si de naturali vita tum ageretur, certè illam Christo si resposceret, negare justè non posset: at quantò minus sensualem vitam, quam nunquam vivere oporteret, etiam si Sacerdos non esset aut sacrificium non offerret? *Absit ut fugiamus, inquit, Judas Machabeus, & si appropiaris tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriae nostrae. Crimen profectò inferitur gloriae tui Sacerdotii & Sacrificii, si dum Christus pro te & per te moritur, sacramentalem illam, quam vivit, vitam immolando: tu mortem fugis, nec judicas illum satis dignum, cui miseram vitam tuam tradas in spiritualem & divinam convertendam! Eamus & nos & moriamur cum eo.*

Satius esset nullo die velle vivere, quam non omni die, sic velle cum Christo mori.

*Declaratur hac Veritas in 3. p. Feria 5. hebdomadae.  
2. Cui conformis hac est, in 2. p. Fer. 5. Septuagesima.*

Ingratus est tanti beneficii, qui se tantum ex parte immolat, se totum immolante Christo.

## CONSIDERATIO OCTAVA, QVO DIE RELIGIOSVS INDVITVR Habitus.

*Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiae circumdedit me: quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatum monilibus suis. II. 61.*

### VERITAS PRACTICA.

Non est in novo habitu novum cordis gaudium, sed in novo corde.

*Ratio est, quia novum illud gaudium, quod percipitur hodie in sumendo habitu religioso, non est nisi à gratia vocationis.*

*Sed illa vocationis gratia non est in novo practico habitu, sed in novo corde sumentis habitum.*

*Ergo non est in novo habitu novum illud cordis gaudium, sed in novo corde; in corde scilicet ejus novum, qui deponendo habitum saecularem deponit saeculares omnes affectus, & induendo religiosum, simul induit affectus omnes suo conformes instituto.*

### I. PUNCTUM.

**S**anctus Augustinus agens de pace seu 19. Civ. II. gaudio spirituali, tale esse ait bonum, ut in rebus terrenis atque mortalibus nihil gra-

*Ad fratres in eremo Serm. 2.*  
 ius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri. Et alibi se- se apertius explicans: Scire, inquit, debetis quod quaedam sunt bona, qua non sunt jucunda, quaedam autem jucunda, qua non sunt bona; verbi gratia, bona sunt jejunia, vigilia, macerationes & similia; hac enim bona sunt sed non jucunda, quia caro in his non incundatur sed leditur: iucunda quippe sunt ebrietates, comessationes, sed non sunt bona: vix poteris reperire in presenti unum quod sit bonum & iucundum: cupis tamen illud invenire? persequere pacem & amplectere eam, hac est enim sola virtus qua habet bonum & iucundum. Quasi diceret, hoc est plenius & cumulatius in tuo genere bonum, quod possideatur in terris, quia quod aliis deest, in eo uno reperitur, nempe ut sit verum simul & sensibile bonum. Licet enim omnem sensum exuperet, ut ait Apostolus, non desinit tamen esse sensibile: sed non est sensuale, id est, non est sensibile modo sensuali, at modo quodam spirituali, qui est perfectior & sublimior quam ut possit explicari. *Phil. 4.* Absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples, ait S. Petrus. *1. Pet. 3.*

Hoc est itaque gaudium, quod sentitur hodie in sumendo habitu religioso, hoc est bonum religiosae vocationis tam suave, ut jam ex ipso ingressu sese reddat. Hoc est bonum supra omnia saeculi bona, quae si jucunda sunt, non sunt vera bona, & si quaedam vere bona reperirentur, non permittit saeculum illis frui. At vero in religione, jamjam ex ipso limine. *Ecclesi. 6.* In opere ipsius, aiebat Sapiens, exiguum laborabis, & cito edes de generationibus illius. *If. 61.* Propheta vero eximie: Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiae circumdedit me. Nonne videtur ipse Novitius loqui? Nonne videtur tale suum indicare gaudium quale diximus, bonum scilicet & jucundum, bonum sensibile & bonam sensibilitatem? Gaudens, inquit, gaudebo in Domino, quasi diceret non est simplex gaudium sed geminum, non est oris gaudium sed cordis simul & oris, non est gaudium futurum sed praesens, non praesens transitorium sed permanens; id est praesens simul & futurum, gaudens gaudebo, quod nunc incipio, semper erit, quia illud est in Domino, qui fons est gaudii jugiter manans. Cur vero & unde tale

gaudium? Quia, inquit, induit me vestimentis salutis; O pretiosa vestimenta quae salutem meam continent! O jucunda dies quae his me vestimentis induit! O sancta indumenta, quae mihi a Domino sic parata sunt, ut me jam non esse meum sed Domini, cujus vestes induo, probe intelligam! Sic pluribus indulgeri posset affectui.

At vero ut fructuosior sit consideratio, diligenter indagandum, quomodo inde hodie ex sumpto habitu tale sentiat gaudium. Non enim simpliciter & praecise, ex novo habitu, novum est illud cordis gaudium; sed ex novo corde. Quae consideranda veritas duplicem afferet fructum. Primus, ut cognitâ verâ causâ gaudii, causam constanter retineamus, quae gaudium semper conferretur. Secundus, ut sic ametur gaudium, non propter se aut propter nos; sed propter illam nobilem & divinam causam unde effluit, ut sic magis ac magis purum & spirituale reddatur gaudium.

Ratio autem propositae veritatis plana est & expedita, cum dicitur sanctum illud gaudium, quod in sumendo habitu percipitur, non esse nisi a gratia vocationis, sive quod idem est, non esse nisi a Domino. Sicut enim non est nisi in Domino, non est nisi sanctum & spirituale, sic planè non est nisi a Domino, cui propterea David dicebat; *Psal. 4.* Dediti lætitiâ in corde meo. Solus ille est qui dat veram cordis lætitiâ, & sola est vera cordis lætitiâ que cum religioso sumitur habitu. Sic probatur unum ex alio, ut quàm verum est solam esse veram lætitiâ, quae percipitur hodie, tam certum sit, illam esse a Domino. Neque enim vera est lætitiâ quae non sit a Domino, neque alia potest esse lætitiâ quam vera & certa quae percipitur hodie cum novo habitu. Cum enim falsae lætitiæ tres esse possint tantum species, una carnis, alia mundi, alia dæmonis, profectò neutra trium harum potest obvolvi sacro religionis indumento. Non quidem carnis, aut mundi, quia renuntiat omnibus eorum curis & desideriis; atque ex consequenti non etiam dæmonis, quia non aliter facilius quàm per carnem aut mundum in nos agit. *Nihil in me sumpsit invenies cruenta bestia,* dicebat dæmoni S. Martinus: quod idem verè dici potest a quovis deserente mundum, si verè mundum deserit. Quamobrem superest, ut sola vera sit lætitiâ, solum illud sit gaudium, quod est fructus & unctio Spiritus, quod

**Matth. 11.** quod est centuplum promissum, quod est manna absconditum, quod est denique anticipata merces illius qui dixit, *venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, quod jugum suave est & onus ejus leve.* Si quid videtur oneros, rotæ sunt in curru quibus moveretur commodius, & alæ sunt in avibus quibus juvantur, non quibus impediuntur.

II. PUNCTUM.

**S**ed illa vocationis gratia non est in novo præcipue habitu, sed potius in novo corde sumentis habitum.

Sicut enim habitus non facit religiosum, sed cordis immutatio & conformatio ad illud religionis institutum quod suscipitur, sic planè vocationis gratia in hac cordis immutatione & novitate consistit. Quod ita verum est ut vocari aliquem à sæculo in religiosum statum, nihil aliud sit quam vocari ad hanc cordis mutationem & novitatem, ut qui naturali affectu mundana & sæcularia diligere, jam illa detestetur: & qui detestaretur aspera & humilia, jam illa velit amplecti, ac propterea sæculum deserat & religioso se aggreget instituto. Neque aliud concipi potest, quid sit respondere vel non respondere vocationi, quam si quis velit aut nolit cor suum sic immutari & novari, ut quæ amabat oderit, & quæ oderat amet. Sic aptè S. Gregorius; *vetusta vita protinus usus mutatur, ut anima superno spiritu afflata, & in summis appetat qua contempserat, & contemnat in infimis qua appetebat.* Ad hoc autem efficiendum, dicitur cor mutari & novari, quia de statu suo naturali, quo tendit in carnalia & terrestria dimovetur in alium statum, quo spiritualia quarat & coelestia. *Dabo vobis cor novum & spiritum novum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiat & operemini.*

Nonne hoc est, de quo præcipue interrogatur Novitius, & de quo sincerè debet respondere, an scilicet sit ad illa paratus omnia quæ natura magis exhorret, nisi per divinam gratiam ad illa paratus esset? Et nonne huic propterea datur novitatus seu tempus probationis, quò & ipse religionem & ipsum probet religio, num constantem & perpetuam sic possit vitam producere? Si quando

denique, quis intepesceret & deasperis vel abjectis officiis quereretur, nonne illud est quod ipse sibi objiciat & repræsentet: *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum:* quasi diceret, nulla est de his conquerendi ratio, cum ego ipse ea ultro elegerim, eligendo istum vitam degendam statum, in quo essem abjectus & infimus. Hoc est potissimum in quo eligendo vocatio sita est, ad quod eligendum datur cor novum, & in quo denique retinendo, tota vertitur vocationis gratia.

III. PUNCTUM.

**N**on est igitur in novo habitu novum cordis gaudium, sed in novo corde; cum in vocationis gratia sit novum illud gaudium, & illa vocationis gratia sit in novo corde, quod profectò non gauderet in ingressu religionis, nisi novum esset & mutatum sicut dictum est, quia gaudium non nisi ex amore nascitur, atque adeo ut sit gaudium spirituale debet esse amor spiritualis; ut sit gaudium de mortificanda carne, debet esse odium carnis & amor spiritus, quod certè carnis odium & amor spiritus non esset in Novitio, nisi cor ejus mutatum esset. *Convertite me & convertar,* ait Prophetæ, *quia tu Dominus Deus meus: postquam enim convertisti me, egi penitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum.* **Q**UID in femore, nisi voluptas carnis accipitur, inquit S. Gregorius, *& quid est quod ait, postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, nisi postquam superna spiritualiter vidit, omne quod in se inferius carnaliter vivebat extinxit, ut quanto magis summa patecerent, tanto amplius ima qua tenuerat non liberent.* Nam quanto incipit quisque superius vivere, tanto & inchoat inferius interire.

Sicut enim mutata dicitur persona, quia mutatus est ejus vitæ status: sic etiam mutatus est vitæ status quia mutata est persona: sed utraque mutatio tum personæ tum status ut sit vera & sincera, cor mutatum esse debet: *Cor est primum vivens, & ultimum moriens;* hoc vulgare dictum de utraque vita, seu morte, tam naturali quam spiritali verè debet intelligi, sicut & illud Sapientis: *omni custodia serva cor tuum quia ex ipso vita procedit.* Quasi Novitio diceretur: quia nunc, quando sumitur habitus, cor est novum & in sua no-

mate

L. 27.

Mor. c. 13.

Ezech 36.

Ier. 31.

L. 25.

Mor. c. 16.

Prov. 4.

vitae integrum, spirituales sentis affectus, amore commoveris & gaudio: bene habet, hoc est suave Christi jugum, hæc est vitæ religiosæ suavitas; sed quamdiu putas sic suaviter vives? audi & crede. Quamdiu scilicet cor tuum conservabis in sua integritate & novitate. Hic est scopus propositæ veritatis, & totius finis discursus, ut quantum gaudere semper velis, tantum in hac novitate cordis persistas. Statim enim atque cor in veterascet, deficiet gaudium. Tum autem in veterascet, quando aliter de rebus sentis ac modò sentis. Modò tibi omnia vana videantur præter Deum & salutem, & nihil tam abjectum in religione, quod non acceptes: si post aliter sentias & judices, tum puta te in veteratum & ne miseris si te privatum gaudio sentias, quia non est gaudium nisi in corde novo, nisi in corde novitatem tuam conservante.

Mirum esset, si modò non gauderes, qui modò agnoscis bonum quod possides: sic plane potest, si non tibi sapit illud bonum; non est mirum si non gaudeas, imò mirum esset si gauderes, quia ut toties dictum est, gaudium ex amore, & amor ex apprehensione boni formatur: quamdiu manebit illa boni apprehensio quam modò habes, manebit ejus amor & manans inde gaudium: at quando illa deficiet, deficiant simul consequentes affectus.

Is. 24.

*Ingemuerunt omnes qui latrabuntur corde, cessavit gaudium, inquit Propheta, quia videlicet ut ante dixit, transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum: uno verbo, non ii fuerunt corde qui prius erant. Scrutetur proinde vias suas, ait S. Bernardus. Et studia sua, qui promissum centupli gratiam sibi deesse causatur, & videbit profecto se non omnia reliquisse, nec propterea miretur se non illud percipere, quod non est promissum nisi his qui relinquunt omnia, & inter omnia semetipsos. Quamobrem idem sanctus Pater ad se primò accedentes, & ad sumendum paratos habitum sic urgebat vehementius: Ago ergo qui relinquere universa disponis, te quoque inter relinquenda*

In illa  
verba: Ecce nos reliquimus omnia.

numerare memento. Imò verò maxime & principiter abnega temetipsum si deliberas sequi eum qui exinanivit propter te semetipsum: pone gravissimam sarcinam. pone asinariam molam, terrenam molem, pone illa quæ non hominum plane jura, sed boum quæ tibi insipienter emisti. Alioqui sequi sponsum & venire ad nuptias spirituales, quinaria hac pressus & oppressus corporis sensualitate non poteris. Vide quæ plura prolequitur, & quæ opportuniùs referuntur in quarta parte, hebdomada decima septima, quæ tota est de suis relinquendis, aut semel relictis, nunquam resumendis: ubi quæ Religiosos spectant, & hoc præfens argumentum: hæc præter plures alias exhibentur veritates.

Nulli melius sunt omnia quam omnia relinquenti.

Plura dat Christo qui dat omnia, licet pauca & vilia, quam qui multa & pretiosa, non datis omnibus.

Væ Religioso non relinquenti omnia.

Sua omnia melius relinquit, qui se relinquit non relictis bonis, quam qui sua bona relinqueret, se non relictis.

Ne terreatur difficultate relinquendi omnia.

Minor est difficultas omnia relinquenti quam partem aliquam.

Qui se dicit sua omnia reliquisse, nec contentus vivit; mentitur, aut mendacem facit Christum.

Nisi ab omni cupiditate voluntas, sicut ab omni errore intellectus, verè convertatur; vix ulla est vera conversio.

Hæc postrema proponitur in eadem 4. parte, Feria 2. Hebdom. 16. sequens autem in 3. parte, Feria 6. Hebdom. 8. & Feria 3. Hebdom. 13.

Non tam spectatur in divinis quid dones, quam quid non dones.

Non tam quid Christo afferas, quam quid à te non auferas.

## FINIS SECUNDÆ PARTIS.

INDEX